



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

VI. Responsiones ad impios articulos Bauaricae inquisitionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

RESPONSIONES
 PHILIPPI MELANCH-
 THONIS AD IMPIOS ARTI-
 CVLOS BAVARICAE IN-
 QVIVISIONIS.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
 ET DOMINO, DOMINO VVOLF-
 gango, Principi Palatino Rheni, Duci Ba-
 uariae, & Comiti Valentiae, &c. Do-
 mino suo clementissimo,
 S. D.

DILIGENTIA DIGNA EST HOMINE CONSIDERARE Gentium origines & migrationes, Imperiorum seriem, & familiarum excellentium propagationem, incrementa & inclinationes. Nam haec consideratio non solum est commonefactio de rerum humanarum inconstantia, de qua tamen etiam cogitare prodest, ut nos ad modestiam flectamus, & aeternam patriam intueamur: sed etiam ostendit multa iudicij diuini exempla in paenis, & uirtutum in familijs Heroicis, ostendit & ueterem Ecclesiae formam, quam scire ualde prodest.

Coniunxerat se Rex Noricus seu Bauaricus cum Longobardis, qui crudeliter in Italia grassabantur, quos cum repressisset Carolus necesse fuit deinde Carolum cum socio Longobardorum dimicare, qui potius Bauaria deinde eam suis posteris reliquit. Haec mutatio regni felix tunc Bauariae fuit. Grata enim haec sedes fortissimis Principibus fuit, quia Italiam inde cum uicina esset, magis tueri poterant, & Germania aduersus Hungaros, & Henetos, qui saepe ex Boemia irumpebant, assidue defendenda erat. Interea hi Francici Principes ornarunt Noricum ubique legibus, doctrina Religionis, literarum, & disciplina. Et si enim cito Apostolorum tempore uox Euangelij in Noricum perlata est: (narrant enim Lucium Cyrenensem

in Tiberia Augusta, quæ nunc est Regensburg/ Euangeli-
um docuisse) tamen postea in imperij Romani dilace-
ratione Ecclesiæ rursus dissipatæ sunt. Maior fuit tran-
quillitas post Carolum Magnum. Restitutæ sunt igitur
Ecclesiæ.

Et quanquam illa ætas in tantis tumultibus omnium
Gentium, supra fundamentum extruere multum stipu-
larum cœperat: tamen nondum nota erant pleræque Ido-
la, quæ postea Monachi recentiores in Tempa collo-
carunt. Extant enim scripta illius ætatis, ex quibus iu-
dicari potest, quale fuerit doctrinæ genus.

Constat autem familiam uestram, quæ nunc & Ba-
uariam tenet, & Palatinorum regionem, ad Rhenum,
ortam esse ab Arnolphi Imperatoris filio. Fuit autem
Arnolphus Imperator ex Caroli posteris, qui Italiam
pacavit, & dissidia Pontificum sustulit. Normannos, qui
inde usque à Baltico littore ad Vangionum urbem accel-
ferant, & Belgicum vastauerant, dissipauit, & Henetos
repressit, fuitque autor ut rex Boëmiae doctrinam Eccle-
siæ Christi reciperet.

Omitto commemorationem de excellentia uirtu-
tis in Carolo & Ludouico Pio. A talibus uiris cum orta
sit Familia uestra, habetis domestica exempla illustra
omnium uirtutum. Nec dubium est omnes natos in ue-
stris Regionibus, quo in numero & ego sum, intuentes
pulcherrimam seriem maiorum uestrorum, maxime op-
tare, ut perpetua floreat posteritas. & ut non solum po-
litica gubernatio sit felix, sed etiam ut omnes Bauarici
Principes sint unum in Deo, & congruant omnes Eccle-
siæ ad illam dulcissimam Psalmi uocem: Ut conueniant
Reges & Populi simul, ut seruiant Deo. Oro igitur toto
pectore filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum,
sedentem ad dextram æterni Patris, ac dona largientem
hominibus, ut te & ceteros Principes Bauaricos gu-
bernet, ut Patriam feliciter regatis in gubernatione po-
litica, & ut uera inuocatione Dei & uos ipsi, & subditi
omnes

omnes eum celebrent : his etiam qui puram Euangelij doctrinam Ecclesijs proponi curant , gratulor hanc pietatem.

Cum autem ad me allati essent Articuli à Monachis compositi ad deterrendos homines à ueræ doctrinæ studio , magnum accepi dolorem , & quanquam rogatus sum , ut responsiones formarem , quia insidiarum multe sunt in illis quæstionibus , quæ sunt tanquam Sphyn-gis ænigmata : tamen & patriæ amore mouebar , ut aliquas admonitiones ederem. Respondi igitur breuius fortassis , quam magnitudo rei postulat , & quæstiones quasdam horridiores seposui , & hanc lucubrationem ad Celsitudinem tuam mitto , non solum ut studium meum Celsitudini tuæ ostendam , sed multo magis , ut Celsitudo tua , quæ puram Ecclesiæ doctrinam optime intelligit , & Deum recte inuocat , sit iudex , & de uoluntate mea , & de hoc ipso scripto. Optarim omnium qui in nostris Ecclesijs docent , pium esse consensum , & una communem hostem reprimi Nunc proh dolor hoc fieri uidemus , quod scripsit Thucydides , Tantisper uictrices fuisse Athenas , cum duces aduersus præcipuum & communem hostem coniuncti fuerunt , postea eas uictas esse , cum distracti Duces singuli propria bella quæsuerunt , omisso communi hoste. Sed oro filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum , ut uulneribus nostris medeatur , & clementer colligat sibi æternam Ecclesiam internos , & faciat ut omnes nostræ Ecclesiæ unum sint in ipso. Bene ualeat Celsitudo tua. Anno 1559. Mense Augusto.

Philippus Melanchthon.

Gg

SEQVUNT

SECVVNTVR ARTI-
CVLI IMPII BAVARICAE
INQVIVITIONIS.

PRIMA QVÆSTIO.

- I. Quid sit Ecclesia sancta?
- II. Quæ sint signa monstrantia Ecclesiam Dei?
- III. An sit visibilis Ecclesia?
- IIII. An credant firmiter & sine dubitatione, & doceant quod sancta Romana & Catholica Ecclesia mandat credi & præcipi?
- V. An credant extra illam Ecclesiam nec salutem, nec remissionem peccatorum esse, & quod omnes, qui se scientes & volentes ab ea se iungunt, sint damnandi vt Hæretici & Schismatici?
- VI. An credant Catholicam Ecclesiam apud hos esse, qui nunc aduersantur Romanæ Ecclesiæ, & Episcopis, qui præsumunt ordinaria successione? An vero apud illos Christianos, qui nominantur Catholici, & retinent vnitatem Ecclesiæ, obædientes vni Romano Pontifici?
- VII. An credant sancta œcumenica Concilia in causis Fidei, quorum sententiæ postea ab vniuersa Ecclesia receptæ sunt, errasse? Et an liceat decreta eorum rursus in dubium vocare?
- VIII. An credant in sancta Catholica Ecclesia septem Sacramenta esse, Et an credant ea esse efficacia & certa signa gratiæ?
- IX. An credant, quod vi consecrationis seu recitationis verborum diuini fiat in Missa transubstantiatio panis & vini in verum corpus & verum sanguinem Christi, hoc modo, ut mox post consecrationem vera ac viuifica caro, verus item & viuificus sanguis Christi vna cum præsentia diuinitatis seu diuinæ naturæ filij Dei, tantum manente externa specie symbolorum panis & vini, ante & post consecrationem, vete, integre, ac substantialiter adsit?
- X. An Sacramentum Altaris, quod ad usum ægrotorum & infirmiorum Christo credentium reponitur ac reserua:ur, credant tantum esse mysterium, significans beneficia Christi, non autem ita uariè esse reuera ipsum corpus & sanguinem Christi?

An cre-

x i. An credant Christum in Sacramento Altaris uere præsentem suppliciter adorandum esse, quodcumque manu Sacerdotis hostia eleuatur, ostenditur aut porrigitur.

x i i. An deestentur ut idololatricum ritum, adorationem Sacramenti Altaris in repositoio aut in theatrica pompa circumgestrationis?

x i i i. An credant verum corpus & sanguinem Christi, atque adeo totum Christum, sub utralibet specie Sacramenti contineri, ac proinde singulis Christianis, qui non sunt Sacerdotes, sub vna specie exhiberi?

x i i i i. An credant hoc Sacramentum non conferre nec sumi ad remissionem peccatorum?

x v. An credant quod ad cauenda seu auertenda multiplicia pericula & scandala, pio consilio ac recte facta sint decreta in Concilijs Constantiensi & Basiliensi, non esse ullo modo impietatis nomine condemnandum morem sacrosanctæ Ecclesiæ, quo Laicis admittitur vna pars Sacramenti, sed tanquam pium ac licitum fideliter seruandum ac retinendum, donec per decretum Catholici Concilij generalis expresse permittatur Laicis usus integri Sacramenti?

x v i. Quomodo intelligant hæc verba? Hoc facite ad mei recordationem. Et, An hæc vox Christi mandantis vniuersaliter ad omnes Christianos pertineat?

x v i i. An in Missa sit facienda oblatio pro viuis & mortuis?

x v i i i. An consecratio Sacramenti valeat facta per non ordinatos ab Episcopis?

x i x. An credant, Tres esse partes pœnitentiæ: Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem?

x x. An credant circumstantias peccatorum mortalium, ut sunt, mora, circumstantia temporis, circumstantia loci, affectata negligentia, &c. in confessione Sacramentali necessario enumerandas esse?

x x i. An credant nostram satisfactionem & pœnitentiam prodesse, nec detrahere seu derogare quicquam merito ac satisfactioni Christi?

x x i i. An credant in homine esse liberum arbitrium?

- xxiii. An sola fide homo iustificetur?
- xxiiii. An credant, Bona opera facta in dilectione, esse merita vitæ æternæ?
- xxv. An credant Sanctos, qui in cælo uiuunt, honorandos, & inuocandos, & ab eis auxilium & intercessionem petendam esse?
- xxvi. An credant animas hominum, qui decesserunt antequam satisfactionem integram præstiterunt, & antequam integre purgati fuerint, cruciari in purgatorio, & an eis opulentur preces, Elemosynæ & oblationes, quæ pro eis in Ecclesia fiunt?
- xxvii. An Coniugium omnibus hominibus sine discrimine concessum sit?
- xxviii. An approbent usum cereorum in Altari positorum ante Sacramentum? Adhæc, an venerationem Imaginum & Statuarum, Item cineris & ossium Diuorum approbent?
- xxix. An consecrationes aquæ, herbarum & aliarum rerum, iuxta consuetudinem Catholicæ Ecclesiæ approbent?
- xxx. An religiosas peregrinationes ad templa diuorum iudicent esse pias?
- xxxi. An vrantur vntionibus & consecrationibus olei?

EXAMINATORES.

Iohannes Cressanicus monachus, Concionator aulicus.

Leonardus Abbas Furstenfeldensis.

Sebastianus Schuueickhart Secretarius Bavaricus.

Stephanus Thrayner, Consiliarius.

Iohannes Einckhirm, Quæstor Landeshutanus.

RESPON

815

RESPONSIONES SCRIP-
TAE A PHILIPPO MELANCH-
THONE, AD IMPIOS ARTICV-
LOS Bauaricæ inquisitionis.

PRIMA QVAESTIO.

QVID SIT ECCLESIA SANCTA.

RESPONDEO.

ECCLESIA IN HAC VITA EST COETVS AMPLECTEN-
tium Euangelium, & recte utentium Sacramentis, in quo filius
Dei per ministerium Euangelij uere est efficax, & multos regenerat
uoce Euangelij & Spiritu sancto, & facit hæredes uitæ æternæ, & sunt
in eo cœtu multi electi & alij non sancti, sed tamen de uera doctrina
consentientes. **H**ÆC definitio prorsus congruit cum descrip-
tionibus, quæ sunt in cap. 13. Matthæi, de semine & de sagena. Et hæc
Ecclesia dicitur sancta in hac uita *κατὰ συνειδήσειν*, quia uere filius
Dei in ea regnat, & multa sunt membra sanctificata spiritu sancto &
electa. **F**IT autem à principali nuncupatio, & membra sancti-
ficata uitate nominantur uiua membra Ecclesiæ. Alij non sancti no-
minantur mortua membra, si tamen de uera doctrina consentiant.
Possunt autem & sancti habere aliquos errores, sed non euercentes
fundamentum, id est, articulos fidei, sicut Paulus inquit: Supra funda-
mentum extruunt alij aurum, alij stipulas. Et cæca ac infelix arrogan-
tia est, si putamus, nihil in nobis infirmitatis esse, nos nihil ignorare
ac omniscios esse. Quanta caligo fuit in Apostolis, qui quanquam
post resurrectionem uiderant initia nouæ & æternæ uitæ, tamen som-
niabant regnum politicum, & multi uolebant retineri cultus Leuiti-
cos. Et multa sunt improprie dicta in scriptoribus pijs, ut uix quis-
quam etiam tam disertus & tam circumspectus est, ut ubique uitare
possit *ἀνεργασίας*. Sicut apud Cyprianum multa horride de satisfac-
tionibus canonicis dicta sunt, ut cum ait, Frustra absolutionem pro-
nuntiar non seruanti ritum satisfactionis. Sed sancti sunt dociles, &
cedunt recte monenti. De his dicit Paulus: Infirmum in fide assumite.
Comedens non abiciat non comedentem, Deus enim assumit eum.
Qui autem palam defendunt idola, aut aliquem articulum fidei euer-
tunt, ij non retinent fundamentum. Sicut Papistæ defendentes adora-
tionem panis in circumgestatione, & mercarum missæ. Item, inuoca-
tionem mortuorum. Item, Delentes doctrinam de fide gratis accipi-
ente remissionem & reconciliationem. Tales blasphemi etiam si do-
minantur

Gg 3

minantur in Ecclesia, tamen nequaquam sunt membra Ecclesie, nec
viva nec mortua, sed prorsus existimandi sunt esse anathemata, sicut
Paulus inquit: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

RESPONDIT igitur clare, quid sit Ecclesia, & qui homines
sint Ecclesia, & quomodo dicatur sancta. Iam dicamus de signis mon-
strantibus Ecclesiam, & quomodo sit visibilis.

SECUNDA QVAESTIO.

QVAESUNT SIGNA MON-
strantia Ecclesiam Dei?

RESPONDEO. Signa tria sunt monstrantia Ecclesiam, ne-
cessaria & uniuersalia, doctrinae Evangelij incorrupta professio vltis
Sacramentorum conueniens diuinæ institutioni: & obedientia debita
ministerio Evangelij. De primo & secundo dicitur: Oues meæ uocem
meam audiunt. Item, Fundamentum aliud poni non potest, præter il-
lud quod positum est, quod est Christus Iesus. Item, Vna fides, unum bap-
tisma. Et de omnibus simul dicitur: 1. Cor. 1. Idem dicatis omnes, nec
sint inter uos schismata, & sitis coagmentati eadem mente & eadem
sententia. Item, Obœdite præpositis uestris. Hæc tria signa sunt ne-
cessaria. SED aduersarij deducunt homines ad alia signa, in-
delicet ad politiam humana autoritate in Ecclesia constitutam. Di-
cunt signa esse Ecclesie, ordinem Episcoporum, Romani Episcopi pri-
matum, & deinde successionem ordinariam Episcoporum, & simili-
tudinem rituum, qui humana autoritate in Ecclesia instituti sunt. Hic
breuis est responsio de Romano Episcopo & de alijs. Quantumcumque
amplificatur illa authoritas, tenendæ sunt hæc regulæ: Fugite idola.
Item, Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Cum igitur ma-
nifestum sit, Romanum Episcopum & agmen Episcoporum ipsi adiu-
ctum defendere idola, & iniustam crudelitatem exercere ad delendam
ueram doctrinam, necesse est ab eis dissentire, sicut necesse fuit dissen-
tire & discedere à Iudaico pontifice & Leuiticis sacerdotibus, cum
tamen notissimum esset, sacerdotium illud diuinitus institutum fuisse.
Nec necessariam esse similitudinem rituum humanorum in uera
Ecclesia, manifestum est ex illis dictis: Regnum Dei non est esca nec
potus, &c. Item, Nemo uos arguat in cibo & potu, &c.

TERTIA QVAESTIO.

AN SIT VISIBILIS ECCLESIA?

RESPONDEO. Veram Ecclesiam etiam in hac uita esse vi-
sibilem cœtum, sed non ut regnum pontificium. Erat visibilis cœtus in
Iudæa audiens Zachariam & Simeonem, Maria, Elisabeth, Ioseph,
Anan,

Anna, & alij multi, etiamſi diſſenſerunt à Phariſæis & Sadducæis, qui ordinariam auctoritatem tenebant. Et quidem cum exerceant ſauitiam impij pontifices in ſanctos, manifeſtum eſt veram Eccleſiam cœtum viſibilem eſſe. Vult Deus agnoſci filium in genere humano, ſicut dicit: Hanc audite. Et vult miniſterium Euangelij eſſe publicum & viſibile, ſicut dictum eſt: In omnem terram exiit ſonus eorum. Et Dominus de viſibili Eccleſia loquitur, cum ait: Dic Eccleſiæ. Nec fingamus Eccleſiam, quæ ſit idea Platonica, ſed antea diximus, quæ ſit Eccleſia, & qui homines ſint Eccleſia. Nec vult Deus doctrinam ſuam eſſe arcana Eleuſinia. Ac affirmamus noſtros viſibiles cœtus eſſe Eccleſiam Dei, in qua multos vere ſanctos eſſe ſcimus, qui habent teſtimonia Spiritus ſancti in confeſſione & ſupplicijs, etiamſi multi ſunt admitti, qui ſunt putrida membra, & in ipſis ſanctis multæ ſunt infirmitates.

C O N T R A vero affirmamus, Romanum Pontificem & eius ſatellites, non eſſe Eccleſiam Dei. cum manifeſtum ſit, eos eſſe deſenſores idolorum, blaſphemos & parricidas. Credimus etiam ante hæc tempora fuiſſe multos ſanctos recte ſentientes, etiamſi alias vera Eccleſia eſt frequentior, alias minus frequens, vt inquit Propheta: Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, velut Sodoma eſſemus facti. Item: Etiamſi erit populus vt arena maris, tamen ſaltem reliquæ ſalutæ erunt. Item Dominus inquit: Niſi abbreviati eſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro. Et ſcripta extant multorum, quos apparet fundamentum tenuiſſe, vt Ambroſij, Auguſtini, Proſperi, Hugonis, Tauleri, Vuëſſeli Gruningenſis, Vuëſſalienſis concionatoris Moguntini, Hiltenij Iſenacenſis, & multorum aliorum, qui habebant auditores, qui erant cœtus viſibiles, & audiebantur ac afficiebantur ſupplicijs, vt Ioannes & Hieronymus Pragenſes, & multi alij, etiamſi non erant cœtus viſibiles, vt pompa Pontificia, & erant diſiuncti ab ordinaria potestate, vt nominant. Sed talis cœtus eſt vera Eccleſia, qualem diſcribit Propheta: Reliqui mihi populum pauperem in terra, inuocantem nomen Domini. Item: Dabo eis Doctorem, & panem & aquam cum tribulatione. Eſt autem Eccleſia monarchia quod ad caput Chriſtum attinet, & Ariſtocratia, quod ad miniſtros attinet, & auditores, vt honeſta ſchola.

D I S C E R N A N T V R autem peccata ignorantia à blaſphemijs. Erat ignorantia in Apoſtoliſ & multis ſanctis, donec Chriſtus reſurrexit, de regno politico Meſſia, & de proferenda politica Moſaica. Hæc peccata remittebantur habentibus initia fidei. Sed poſtquam lux Euangelij clarius ſperſa eſt, ſacerdotes & Phariſæi manifeſtae veritati contradicentes blaſphemi fuerunt, & habuerunt peccata quæ non remittebantur. Iam igitur manifeſtum ſuit diſcrimen vera Eccleſiæ & hoſtium Eccleſiæ Dei, de quibus dicitur:

Vos ex patre Diabolo estis. Et 1. Cor. 10. Si quis non diligit Dominum Iesum, sit anathema, Maran Atha, Malachia 1. Et habuit filium Dei alieni, eradicabit Dominus uirum, qui ista facit, & perdet magistrum & discipulum de tabernaculo Iacob. Inscitent ergo nomen & exempla Ecclesie quantum uolunt aduersarij, nos utraque consolatione constantissime confirmemur, & quod necesse sit agnitæ ueritati obedire, quia blasphemia non remittitur, & quod iam patefactio erroris ostendit discrimen inter membra ueræ Ecclesie & blasphemos, quocertum est non esse membra ueræ Ecclesie.

QVARTA QVÆSTIO.

AN CREDANT FIRMITER ET SINE DUBITATIONE, & doceant, quod sancta Romana & Catholica Ecclesia mandat credi & præcipit?

RESPONDEO. Non recipio hunc articulum, quia sunt insidie in uerbo Romanæ Ecclesie. Etsi enim restrictio addita est, sancta Romana: tamen aduersarij intelligunt Romanam Ecclesiam agmen Pontificium. Ideo reiicienda est confusio Romanæ & Catholicæ Ecclesie. Nam pontificium agmen non est Catholica Ecclesia, nec Romana Ecclesia est uniuersæ orbis Ecclesia, nec decreta Romanæ Ecclesie sunt uniuersalis Ecclesie decreta. Manifestum est Græcam Ecclesiam non prohibere sacerdotum coniugium, ut faciunt Romani Pontifices. Manifestum est Græcam Ecclesiam extra monasteria, quæ recentia sunt, ne nunc quidem habere priuatas missas. Manifestum est Græcam Ecclesiam ne nunc quidem habere circumgestionem & adorationem panis, qualem recens Pontifex Urbanus instituit. Decretum Romani Pontificis est: Romanum Pontificem habere summam auctoritatem iure diuino in Ecclesijs & in regnis. Id decretum nunquam Asia & Græcia receperunt. Est & infidiosa confusio in uerbis, quæ faciunt primum mentionem fidei, deinde præceptorum. Aliud enim est loqui de fide aliud de præceptis rituum humanorum. Affirmamus autem perspicue & sine ambiguitate, nos credere omnes articulos fidei comprehensos in Symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasiano. Et extat de toto corpore doctrinæ confessio Ecclesiarum nostrarum, consentiens cum Catholica Ecclesia, uidelicet Symbolis & ueteribus probatis scriptoribus. In hac uera doctrina uerum Deum inuocamus, qui se patefecit misso filio Domino nostro Iesu Christo, crucifixo & resuscitato, & colimus eum ijs cultibus quos ipse præcepit, iuxta dictum: In præceptis meis ambulate. Et abhorremus ab omnibus hereticis opinionibus, quæ pugnant cum Symbolis, & euertunt politicum ordinem, quales sunt opiniones Monachorum & Anabaptistarum.

Fides

Fides autem qua amplectimur Symbola, nititur non auctoritate aut mandatis Ecclesiæ, sed perspicuo uerbo Dei, tamen si Ecclesiam catholicam docentem pie audimus, & sinceræ ueritatis testimonijs confirmamur, sicut Paulus uult infirmos à firmioribus confirmari.

QVINTA QVÆSTIO.

AN CREDANT EXTRA ILLAM ECCLĒ-
siam nec salutem, nec remissionem peccatorum esse,
& quod omnes, qui se scientes & uolentes ab
ea se iungunt, sint damnandi ut
hæretici & schismatici?

RESPONDEO. De catholica Ecclesia concedo. De Pontificio ag-
mine. quod ipsi nominant Romanâ Ecclesiam, nego. Ut enim in Iudæa
impij Pontifices, Sadducæi, & Pharisei, etiam si dominabantur, non e-
rant catholica Ecclesia Dei, quia non retinebant doctrinam catholicæ
Ecclesiæ Dei, uidelicet Prophetarum, sed Zacharias, Simeon, Maria,
Elisabeth, Ioseph, & horum auditores, quanquam pauci erant collati
ad multitudinem hostium, tamen erant catholica Ecclesia Dei, quia
retinebant doctrinam Prophetarum: Ita hoc tempore Pontificij, cum
sint hostes Euangelij, non sunt catholica Ecclesia Dei, etiam si domi-
nantur & iactitant successiōem ordinariam. Et unitas catholicæ Ec-
clesiæ est consensus in fundamento, uidelicet in articulis fidei, & man-
datis diuinis, etiam si qua est dissimilitudo in ritibus humanis. Quare
affirmamus, nos nec discedere nec discessisse à Catholica Ecclesia,
quæ Symbola complexa est, Apostolicum, Nicenum & Athanasianum,
nec à patribus, Irenæo, Ambrosio, Augustino, Prospero & similibus,
etiam si qui ritus humani tunc alij fuerunt. Semper enim aliqua dissi-
militudo rituum humanorum fuit. Sed à Pontificijs ut discederemus,
necessaria causa est, quia scriptum est: Fugite idola. Item: Si quis al-
liud Euangelium docet anathema sit. Item: Blasphemia spiritus non
remittetur.

SEXTA QVÆSTIO.

AN CREDANT CATHOLICAM ECCLĒ-
siam apud hos esse, qui nunc aduersantur Romanæ Ecclē-
siæ, & Episcopis, qui præsumt ordinaria successiōe: An
uero apud illos Christianos, qui nominantur Ca-
tholici, & retinent unitatem Ecclesiæ, obædi-
entes uni Romano Pontifici?

RESPONDEO PERSPICUE. Ecclesiæ nostram confessio-
ne n
Gg 5

non amplectentes verissime esse membra catholice Ecclesie Dei, & hoc tempore veram Dei Ecclesiam, iuxta dictum: Oves meæ vocem meam audiverunt. Et in his nostris cœtibus vere sunt electi multi, iuxta dictum: Quos elegit, hos & vocavit. Et multorum confessio in supplicij ostendit præsentiam Spiritus sancti. Ac doctrinam nostrarum Ecclesiarum congruere cum veteris & purioris Ecclesie sententia, fieri necesse est eos, qui dextere iudicant. Nec ideo nostre Ecclesie non sunt membra catholice Ecclesie Dei, quia in aliquibus est infirmitas & ignorantia aliqua, qui tamen retinent fundamentum, & sunt dociles, nec oppugnant agnicam veritatem, quia de infirmis scriptum est: Infirmos assumite. Item: Alius supra fundamentum extruit stilipulas.

De altera parte articuli distinguo. Certissimum est defensores idolorum & errorum pugnantium cum mandatis divinis & articulis fidei, præsertim patefacta veritate, non esse membra catholice Ecclesie Dei, ut apud Iudæos blasphemi & parricida, qui aduersabantur Christo & Apostolis, non erant membra catholice Ecclesie Dei. Tales nunc sunt Pontifices Romani & eorum satellites, qui agnitæ veritati aduersantur, & scœvitiam exercent in homines pios. Fuerunt autem ante hanc lucem Evangelij multi sub eis, ut Bernardus, Bonaventura, & alij multi, qui etsi habuerunt contagia errorum, tamen de fundamento melius senserunt quam plerique alij. Taxarunt etiam crassos errores. Hos confugientes ad misericordiam, & deplorantes ignorantiam suam, fuisse membra catholice Ecclesie, non negamus, ut etiam sub impijs Pontificibus & Pharisæis scintilla veræ doctrinæ in Nicodemo, Pharisæo, & alijs multis similibus fuit, qui dociles erant, & veritatem quærebant. Si qui nunc tales sunt exorta luce Evangelij, qui tamen infirmi sunt, hoc hortamur, ut discant doctrinam patefactam, & vincant infirmitatem suam, nec suo exemplo stabiliant idolorum cultus & errores, iuxta dictum: Fugite idola.

SEPTIMA QUÆSTIO.

AN CREDANT, SANCTA OECUMENICA concilia in causis fidei, quorum sententiæ postea ab universa Ecclesia receptæ sunt, errasse. Et an liceat decreta eorum rursus in dubium vocare?

RESPONDEO DE SECUNDA PARTE. Si quid illa Synodus decrevit contra mandata divina, seu contra articulos fidei, necesse est illud decretum taxare. Ut cum proxima Tridentina Synodus decretum fecit: Hominem semper debere dubitare, an sit in gratia. Hic impio decreto necesse est aduersari. Tollit enim

articulum: Credo remissionem peccatorum, & doctrinam de hoc articulo in scriptis Prophetis & Apostolicis expresse traditam, ve in hoc dicto: Iustificati fide pacem habemus. Confirmata sunt in Synodis inuocatio hominum mortuorum, satisfactiones & indulgentiæ, & adoratio panis in circumgestatione. Item, Prohibitio coniugij. His manifestis erroribus contradici necesse est: constat enim Synodos non condere nec abolere articulos fidei, nec posse abolere vllum mandatum Dei. Semper igitur tenenda est regula: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Hæc de secunda parte huius articuli satis sit dixisse. Sciunt enim omnes sani hanc nostram responsionem veram & firmam esse.

IN PRIORE PARTE ARTICVLI mirifice sunt præiugia. Interrogamur in genere, An sanctæ Synodi œcumenicæ ac receptæ errauerint? Hac generali interrogatione odia contra nos accendere student, quod videamur omnes Synodos & omnia acta in synodis reprehendere. Nos vero palam fatemur, oportere in Ecclesia iudicia esse, & affirmamus multas pias synodos fuisse, & profuisse Ecclesiæ, & maxime optamus nunc in his disidijs recte constitui iudicium Ecclesiæ. Sed hoc quoque dicimus, Euangelium prolatum ex sintu æterni Patris, & legem Dei, qua vniversam rationalem creaturam sibi obligatam esse voluit, non posse ab vlla synodo mutari aut aboleri, iuxta dictum. Verbum Domini manet in æternum. Dicimus etiam, Synodus in dijudicatione dogmatum non habere potestatem regiam seu prætoriam. Cum ad politica iudicia afferretur dubitatio de lege aliqua, rex aut prætor dubia verba legis humanæ interpretatur, & circumstantiam determinat. Hæc interpretatio & determinatio valet propter autoritatem regiam seu prætoriam, & parere necesse est, quia Deus hac autoritate magistratum armavit. Sed his politicis iudicijs dissimilia sunt iudicia Ecclesiæ de doctrina. Cum est controversia allata *in parte xxi diabolus* ad synodum, & pia synodus pronuntiat quam interpretationem amplectatur, valet sententia non propter autoritatem ordinis, sed propter verbum Dei, de quo pij suam confessionem alijs ostendunt, & ex fontibus ipsis docent, hanc esse perpetuam scripturæ Propheticæ & Apostolicæ sententiam & non aliam. Narrant etiam vnde acceperint suam sententiam. Vt cum Anabaptistæ contendunt, pios non debere vti defensione iudiciorum, quia dictum sit: Si quis eripuerit tibi tunicam, relinque ei & pallium. Synodus pronuntiat, hic non prohiberi nec damnari iudicia, nec petitionem defensionis in iudicio, quia alibi expresse & sæpe comprobatus est ordo politicus, & ex fontibus ostendit discrimen iusticiæ Spiritus seu æternæ, & ordinis politici. Ita Synodi sententia est confessio pij cætus, quæ est vera, & valet propter fontes, necesse est enim

enim

eam fidem nisi uerbo Dei. Sed tamen Ecclesia audienda est, quæ docet nos de fontibus, iuxta dictum: Nisi arassetis uitula mea, non inuenissetis. E t quia aliquæ synodi lapsæ sunt, & omnibus temporibus homines labi possunt, ideo decreta synodorum ad normam, id est ad legem Dei & ad articulos fidei conferenda sunt.

Fuit frequentissima synodus Syrmienfis, ubi mutatum est uocabulum in simbolo *ὁμοούσιον*, & supposita uox *ὁμοιος*. Hanc perniciosam mutationem rursus emendauerunt sancti propter testimonia Prophetica & Apostolica, non deterriti synodi frequentia.

V t autem antea diximus, nos amplecti symbola, Apostolicum, Nicenum & Athanasianum: Ita expresse affirmamus, nos amplecti omnium Synodorum decreta, cum his symbolis congruentia, ut congruit Antiochena Synodus, quæ damnauit Samosatenu, & antecessit Nicenam annis 60. Ibi cum conuenissent multi, qui discipulos Apostolorum audierant, non addiderunt nouam interpretationem, sicut ambigæ legi reat prætor addit nouam determinationem. Sed testati sunt, à Ioanne hanc sententiam traditam esse, quod *λόγος* ibi significat *λόγος ὑψιστάτος*. Et protulerunt dicta de filio ante assumptionem humanæ naturæ. Item dicta de eius omnipotentia: Ego uitam æternam do eis. Quæ enim esset audacia de re tanta nouam interpretationem gignere, & addere Deo coæternum filium, nisi antea doctrina de filio testimonijs Prophetarum & Apostolorum tradita esset? Docentur ergo & confirmantur pijs talibus testimonijs, iuxta dictum: Et tu conuersus conuincema fratres tuos. S E C V N D A est Nicena Synodus, quæ rursus restituta est, hanc doctrinam propagatam esse ab Apostolis, & protulit dicta Prophetica & Apostolica. Eadem Synodus fecit decretum contra Nouatianos, & iussit recipi lapsos redeuntes ad pœnitentiam. Hæc quoque Synodus tantum testis fuit de doctrina antea tradita. Quomodo enim auderent homines lapsi promittere reconciliationem, nisi uoluntas Dei expressa esset in scriptis Prophetis & Apostolicis? Allegabantur etiam exempla superiorum temporum: Receptus est Petrus. Ioannes adolescentem, qui se adiunxerat latronibus, recepit. Paulus recepit Corinthiū incestum. Congruunt cum Symbolis & Constantinopolitana Synodus, quæ à Theodosio seniore instituta fuit. Et deinde Theodosij i. tempore Synodus Ephesina. Item Martiani tempore Chalcedonenfis, in quibus doctrina de duabus naturis in filio recitata est, quæ cum Symbolis congruit.

Fuit & pia Synodus Gægrensis contra superstitiones monachorum congregata, qui damnabant coniugia, & prohibebant quosdam cibos, & reiecta communi congregatione in administratione Sacramentorum seorsum conueniebant, quia nolebant interesse ministris pastorum, qui erant mariti. Denique scimus fuisse multas pias Syno-

dos & utiles Ecclesiae, & Deo gratias agimus, quod subinde aliquas Synodos rexit ad emendationem errorum.

Sed fuerunt aliae congregationes, quarum etiam fuit magna frequentia, in quibus facta sunt decreta contraria Symbolis, ut in Synodo & Arimino tempore Constantij, ubi decretum est, ut pro *decretis*, deinceps legeretur *scripturis*, quod partes dissentientes uiderentur hoc cothurno coniungi posse. Id gratum fuit Imperatori, Talia exempla ostendunt posse errare Synodos, & decreta earum conferenda esse ad normam, quae nequaquam est ambigua aut mutabilis, uidelicet ad scriptura Prophetica & Apostolica, & symbola. Ideo Synodorum decreta cum hac norma pugnantia taxare necesse est, quale est Synodi Constantiensis decretum, quod unam partem cenae Domini populo admittit. Sic & de ceteris impijs decretis, qualia multa in proxima Synodo Tridentina facta sunt, iudicandum est. Haec de Synodis hoc loco breuiter respondeo.

OCTAVA QVAESTIO.

AN CREDANT IN SANCTA CATHOLICA Ecclesia septem Sacramenta esse, Et, An credant ea esse efficacia & certa signa gratiae?

RESPONDEO. Nego esse septem illa, quae Papistae numerant. Nam ritus Papisticus unctionis, qui nunc in usu est, manifesta impietas. Consecrationes olei, quae nunc fiunt, sunt similes Magicis. Additur item inuocatio hominum mortuorum. Haec expresse damnamus. Falso autem citantur exempla Apostolorum, qui adhibebant olea ad curationem morborum. Nunc fingunt unctione tolli peccata, & manifestum est, huic ritui unctionis non esse adiunctam promissionem gratiae. RITVS confirmationis, quem retinent Pontificij, prorsus inane spectaculum est, nec mandatum Dei nec promissionem gratiae adiunctam habet. Cum autem Sacramenta nominentur actiones a Deo instituta, ut sint testimonia promissionis gratiae, ideoque habeant adiunctam promissionem, affirmo haec duo, Baptismum & Cenam Domini esse Sacramenta. Si quis etiam Absolutionem uult nominare Sacramentum, non repugno, Quia promissio addita est: Quorum remiseritis peccata, &c. De effectu autem plane dico, In adultis fidem propriam in usu Sacramentorum necessariam esse, qua singuli sustentent se promissione gratiae, & intuentes testimonium illud, confirmentur, ac statuunt, non propter hanc obedientiam dari gratiam, sed gratis propter filium Dei, iuxta dictum: Iustificamur autem gratis per redemptionem quae est in Christo Iesu per fidem.

EXPRESSE

EXPRESSE autem deliramentum Pharisæicum damno, quod dicitur per Sacramenta ex opere operato, sine bono motu uentis, dari gratiam.

DE IX. ARTICULO, QUI LOQUITUR
DE TRANSUBSTANTIATIONE,
& de tribus sequentibus, qui loquuntur
de Adoratione.

SIMVL respondeo. Cum vera Sacramenta in Ecclesia sint actiones instituta à Deo, & nulla creatura possit talem actionem instituire, cui sit addita promissio gratiæ, seu rem ad quam fiat adoratio, manifestum est nihil habere rationem veri Sacramenti extra usum institutum, Vt, si quis circumferret aquam Baptismi, & diceret, ibi inclusum esse Spiritum sanctum, & iuberet fieri adorationem ad illam aquam, ibi prorsus esset Idoli cultus. EODEM modo dico expresse de Papistica adoratione panis, quam exercent extra usum, in sua oblatione, repositione, & circumgestatione. Et assumo hanc manifestam idololatriam causam esse necessariam, cur relinquenda & fugienda sint ipsorum congregationes, iuxta dictum: Fugite idola. SCRIPTUM est in Daniele de Antiocho: Deum Maozim colet auro & argento: Vbi non dubium est, significari id quod tunc fecit Antiochus, videlicet, Idoli adorationem, quod collocarat Antiochus in templum veri Dei. Etsi autem cur Daniel usus sit appellatione Maozim, disputatur, tamen soni vicinitas congruit ad nomen Maza, quod est panis seu cibus. Et cum Antiochus sit typos Antichristi, cogitent pij, multa idola in colluue Pontificia colivertris causa, inter quæ etiam est deprauatio cœnæ Domini. Hæc dico, ut cum obijcitur nobis quod Schismatum autores simus, pij se confirmet & consolentur hac cogitatione, quod mandato diuino cogemur idola fugere. CONSTITUTA hæc firma sententia, quod nihil habeat rationem Sacramenti extra usum institutum, Responsio perspicua est ad interrogationem sedecimam, in qua Aristotelus quat: Quæ sit sententia horum uerborum: Hoc facite ad me recordationem? Respondeo, Præcipit ut hoc faciamus quod institutum est, scilicet, Accipite, manducate, bibite ex hoc omnes. Nulla syllaba ibi legitur de obligatione & alijs spectaculis, sed Sumtio instituitur, & ita instituitur, ut fiat recordatio mortis & resurrectionis Christi, & beneficiorum eius, quod intelligatur de publica & prima recordatione, sicut hæc uerba docent: Quotiescunque hoc facitis, mortem Domini annuntiate. Neruum publicæ & honestæ congregationis esse hanc summionem filius Dei uoluit. Et quidem in Paulo dicitur promissio addita est: Donec uenerit. Significat enim mansuram esse Et-

esse Ecclesiam, donec Filius Dei ueniet ad manifestum iudicium, & uelut triumphans abijcet omnes hostes suos in æternos cruciatus, & adducet Ecclesiam lætam & triumphantem ad æternum Patrem.

Hæc consolatio de duratione Ecclesiæ pijs grata est, & iurare nos debet, ut libentius adiuuemus conseruationem instituti ministerij. Complectitur autem publica recordatio doctrinam vniuersam de filio Dei, & de eius beneficijs, de applicatione beneficiorum, de remissione peccatorum, de fide. Deinde & publicam gratiarum actionem, unde nomen *inzagria*. Sit autem & priuata recordatio, quæ complectitur eadem, quæ recensui in publica recordatione.

Maxima pars Sacrificulorum facit illam suam oblationem, nec penitentiam, nec ullam piam cogitationem afferens, contaminata multis sceleribus, tantum ibi quærit lucellum, quo hanc operam morte Ethnico uendit. De talibus scriptum est Esaiæ 28. Omnes mentes repletae sunt vomitu. Hæc mala intelligantur & deplorentur, & nos memores sumus dicti Christi: Hoc facite in mei recordationem. Cogitemus quid institutum sit, non oblatio, cum dictum sit: Vna oblatione consummavit sanctos, & sese obtulit filius Dei, in sese deriuans iram æterni Patris, iuxta dictum: Ego me pro eis sanctifico. Sed summo instituta est, in qua fiat recordatio summæ Euangelij.

Afferamus penitentiam, & cogitemus quam mirum fœdus hoc sit, quod hæc persona, quæ nõ est Angelus creatus, sed filius *ἰσότητος* æterni Patri, & Omnipotens, assumit massam naturæ nostræ, & placata ira æterni patris, nos sibi inserit tanquam surculos, & nos sibi membra facit. Hoc testatur in hac sumtione. Vere & substantialiter adest, applicat sese & sua beneficia communicatione corporis & sanguinis sui, & uult nos credere, quod uere sua morte meruerit nobis remissionem peccatorum & iusticiam, & resuscitatus uiuat, & nos sibi membra faciat, & uere uelit in nobis esse efficax, sicut Hilarus inquit: Hæc sumta & hausta faciunt ut Christus sit in nobis, & nos in Christo. In hac recordatione ardeant fides, inuocatio & gratiarum actio. Hic usus à Filio Dei institutus est, quem Ecclesiæ nostræ Dei beneficio retinent, & ut retineatur, omnes pijs conseruationem eius adiuuare debent: Hic usus est dulcissima *αρωγή*, in qua & ipse Filius Dei nobiscum fœdus facit, quod nos elementer recipiat, & nos uicissim cum ipso fœdus facimus, quod ei credamus, & beneficia eius grati accipiamus. Facit & inter sese fœdus Ecclesiæ, ostendit confessionem, consensum & concordiam.

Ex istis fundamentis respondeo, & ad sequentes Articulos. Ad decimumquintum dico: Nec Synodum, nec ullum hominem posse prohibere alteram partem cœnæ Domini: iuxta dictum: Testamentum hominis mutare non licet, quanto minus Testamentum Dei?

AD XVII. ARTICVLVM.

AN IN MISSA SIT FACIENDA
Oblatio pro uiuis & mortuis?

RESPONDEO. Non esse institutam oblationem corporis & sanguinis Christi, faciendam per Sacrificulos pro uiuis & mortuis, sed sumtionem & recordationem publicam & priuatam. Hæc nihil ad mortuos pertinent, ideo manifesta profanatio est, fingere oblationem pro mortuis. Ac uetus Ecclesia propinqua temporibus Apostolorum, nec Purgatorium, nec Sacrificia pro mortuis nouit. Et dissimilitudo est Canonum Missæ etiam apud ipsos Græcos. Quod uero interdum nomine Oblationis aut Sacrificij uetustas utitur, intelligit totam actionem, inuocationem & gratiarum actionem adiunctam sumtioni. Hæc recte dici Sacrificia non dubium est.

AD XVIII. ARTICVLVM.

AN CONSECRATIO SACRAMENTI
ualeat facta per non ordinatos ab Episcopis?

RESPONDEO perspicue. Ordinationem ministrorum Euangelij iustam esse in Ecclesijs nostris, iuxta dicta Pauli, ad Timotheum. Constituas in urbibus Presbyteros, sicut ordinaui. Et ad Timotheum. Hæc commenda fidelibus hominibus, qui sunt idonei ad docendos alios. Nec dubium est, Filium Dei & conseruatorem esse ministerij Euangelici, & in ministerio efficacem esse, ubicunque est coetus recte docens Euangelium, iuxta dictum: Sedet ad dexteram aterni patris, dans dona hominibus, Pastores & Doctores. Et Ioannis 17. Ego sum uitis, uos palmites, Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum copiosum. Hæc tota concio utrunque confirmat: & solum hunc coetum esse Ecclesiam Dei, in quo uox Euangelij est incorrupta: & in eo coetu adesse filium Dei, & ibi efficacem esse. Et quidem corda piorum, quæ ueras consolationes sentiunt; testantur filium Dei in ministerio Ecclesiarum nostrarum efficacem esse, iuxta hæc dicta: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, clamantem Abba pater. Item: Sustinuit anima mea in uerbo eius, sperauit anima mea in Domino. Item: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item: Iustificati de pace habemus apud Deum. Tenebant partem ministerij Pontifices & Pharisei in Iudæa per tyrannidem, uidelicet Circumcisionem. Doctrinam uero & sacrificia corrumpebant. Inter ea uero men Deus, efficax erat uoce doctrinæ, quam sonabat uera Ecclesia, Zacharias, Simeon, Elisabeth, Anna, Maria, & similes. Ita nunc Pontificij retinent Baptisimum, Doctrinam uero & cenam Domini horribiliter

biliter corruptunt. Sed doctrinā Euangelij incorruptam, & usum Sacramenti institutum Ecclesie nostrae retinent. In his adest filius Dei, & est efficax in ministerio instituto, sicut inquit: Ego sum uitis, uos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum copiosum.

SCITO autem, atrociter declamare Pontificios, non fieri consecrationem ab ijs, qui non sunt ordinati ab Episcopis. Deinde non esse Episcopos, nisi confirmatos à Romano Episcopo. Hæc κακοζελία Papistica refutatur etiam exemplo Orientalium Ecclesiarum, quarum extat epistola in 5. libro Theodoretī, in qua scribunt, Non oportere peti confirmationem à Romano Episcopo, sed satis esse, uel electionem fieri ab Ecclesia eius loci, adhibito uicino Episcopo uno uel pluribus, iuxta Synodi Nicenæ decretum. ΠΟΣΤΡΕΜΟ quæ amentia esset, nostros ab ijs petere ordinationem, à quibus, si ad eos accederent, interficerentur?

AD XIX. ARTICVLVM.

AN CREDANT, TRES ESSE PARTES Pœnitentiæ: Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem.

PLANE respondeo. Enumerationem delictorum nec partem pœnitentiæ, nec necessariam esse. DE Canonicis Satisfactionibus, quas aduersarij nominant opera indebita, respondeo, Eas non solum non esse partem pœnitentiæ, sed etiam falsos cultus, & aduersarios asserere multos errores, quorum comprobatio est impia.

IT A simul responsum est de sequentibus duobus Articulis. Nec ipsorum delictorum, nec circumstantiarum enumeratio necessaria est, nec satisfactio, quam nominant opera indebita, utilis est, & ut Monachi eam declarant, est contumeliosa aduersus satisfactionem filij Dei.

CUM autem prosit in conspectu habere aliquos insignes errores Aduersariorum, quorum euidentis falsitas confirmet nos, ut minus angamur cum obijciuntur nobis scandala dissidiorum & schismatum, semper intueamur antithesin doctrinarum pœnitentiæ. Ibi cum tetros & perniciosos errores Aduersariorum aspiciamus, agamus Deo gratias, quod reddidit lucem ueræ doctrinæ, & firmas consolationes, & lætemur nos à societate defensionis errorum procul abesse.

INITIUM harum discordiarum fuit explicatio doctrinæ de Pœnitentiâ, & refutatio imposturarum, quas nominant INDVLGENTIÆ. Quodque securum est tam atrox Schisma, non est culpa eorum qui ueritatem monstrarunt, sed factionis Pontificiæ, quæ ueritatem delere conatur, non solum edictis, sed etiam tyrannica

H h rannica

rannica seuitia. LONGVM autem esset hic repetere integram antithesin doctrinarum de Pœnitentia, & credo pijs omnibus notam esse. Hi intelligunt nos non mouere λογισμους, sed res magnas & necessarias in Ecclesia illustrare. AFFIRMÔ hoc quoque, tale chaos esse in scriptis Monachorum de pœnitentia, vt ante nostras explicationes Aduersarij ne suos quidem Labyrinthos intellexerint.

DE Contritione dicunt oportere esse sufficientem Contritionem. Hoc prorsus impossibile est. Et quo magis cresceret dolor sine fide, eo magis ruerent homines in desperationem. SECUNDO dicunt, Contritionem mereri remissionem culpæ. Hoc mendacium contumeliosum est contra meritum Christi, & delet Euangelium de fide, quod præcipit vt credamus remitti nobis peccata, & nos reputari iustos, gratis, propter solius filij Dei obedientiam, sicut scriptum est Rom. 3. & 4. Act. 10. & alibi.

TERTIVS error est, quod nihil dicunt de fide, accipiente gratis remissionem peccatorum. Ipsi docent, semper manendum esse in dubitatione. Ita veram consolationem & vocem Euangelij, & discrimen legis & Euangelij, prorsus delent. Hæc satis magna causa est, cur lateatur nos à societate ipsorum abesse. QUARTVS error: Vociferantur enumerationem delictorum necessariam esse, & addunt, hanc pudefactionem mereri remissionem peccatorum. Hæc carnisficia auxit dubitationes, quæ fidem & inuocationem impediuerunt, & aut profanitatem, aut desperationem attulerunt.

QVINTVS error: Non intelligunt, apud veteres spectacula Satisfactionum tantum fuisse ritus humanos, exempli causa receptos, vt alij homines commonefierent, nec fuisse merita remissionis culpæ aut pœnæ coram Deo. Et apparet horum ritus à vetustate Ethnica sumtos esse. Nam & apud Ethnicos homicidæ gerebant signa reatus, ut agnoscerentur ab alijs, & vitarentur tanquam polluti, nec cum eis mensæ & conuiuius societas esset. Vt, Orestes quæritur se vagatum esse, nec admissum ad aliorum mensas. Et Hercules interfectis filijs verat se à Theseo attingi. Hæc vestigia fuerunt vetusti ritus patrum, quo fuerat offensa excommunicatio, etiam politica spectacula, non merita remissionis peccatorum coram Deo.

Sed in Ecclesia paulatim accessit superstitio. SEXTVS error: Cum Monachi veteres historias nescirent, impudenter fingunt, remitti pœnas æternas propter pœnas purgatorij, Rediunt autem pœnas purgatorij operibus indebitis in hac vita, & sacrificiis Missæ, & varios ludos finxerunt: Monachatum, itinera ad longinqua templa, ut Orestes profectus est ad Dianam Tauricam. Hæc Tragediæ omnes tolluntur vna regula: Frustra colunt me mandata hominum. Firmissime etiam hæc regula tenenda est, Non distraherendam esse remissionem pœnæ æternæ à remissione culpæ, sed semper

simul remitti & culpam & pœnas æternas, & quidem propter filium Dei, gratis, sola fide, iuxta hæc dicta: Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Item: Omnis mors tua, Græci etiam nomine magis uerecundo usi sunt. Non nominarunt Satisfactionem, sed *ἰκανοποίησιν*, hoc est, increpationes seu castigationes. SEPTIMVS error. Cum creuissent illa onera, necessaria fuit relaxatio, quam nominarunt INDVLGENTIAS. Has postea uendiderunt, & varia mendacia affinxerunt. Dixerunt se merita sanctorum applicare ementibus, & liberare animas ex purgatorio. RECITAVI manifestos errores, qui traduntur à Pontificijs in sua doctrina de pœnitentia, Quorum consideratio pios confirmet, cogitantes se habere necessarias causas cur ab eis dissentiant. CONTRA uero simplex & perspicua ueritas in nostris Ecclesijs proponitur, comprehensa in his dictis Christi, quæ summam doctrinæ continent, Marci 1. Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Et Luca ultimo: In nomine meo predicare pœnitentiam & remissionem peccatorum, Et in iuramento dicitur: Vino ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Dicimus conuersionem ad Deum necessariam esse, quod & in iuramento affirmatur. Et in Conuersione comprehendit dolores & consolationes. Hæc manifesta sunt ex ipso uocabulo Conuersionis, & ex omnium sanctorum experientia. Vtrunq; comprehendit rex Ezechias. De doloribus inquit: Sicut leo contriuit omnia ossa mea. Et de consolatione: Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Item: Corripis me, & uiuificas me. Paulus etiam ueritate duas partes Conuersionis facit: Mortificationem & uiuificationem, quæ uocabula sunt magis perspicua, cum ad Conuersionem accommodantur.

RETINET autem de doloribus nomen Contritionis, quia uisum est. Si quis uolet aliter loqui, si res easdem retinet, non pugnat. Fugiendæ sunt enim *λογωμαχίαι*. De doloribus etiam perspicuitatis causa uolens prætereo multorum labyrinthos: De Attritione & Contritione, de metu pœnæ & amore iusticiæ, &c. Cum sunt veri dolores non simulati, Deus iudicat peccatum in cordibus, uerbo suo arguente peccatum, iuxta dictum: Per legem cognitio peccati. Item: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me, &c.

ACCEDAT autem & fides cogitatione promissionis in Euangelio traditæ, quæ affirmat gratis remitti peccata, & imputari iusticiam, & donari Spiritum sanctum & uitam æternam propter filium Dei, & per eum. Hac fide & fiducia intuentem filium Dei, certo accipitur remissio peccatorum, & sic consolatio & uiuificatio, quæ est altera pars conuersionis. Sic de consolatione dicitur Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus. Et ad Ephesios 3. Per hunc

H h 2 habemus

habemus fiduciam & accessum per fidem in Iesum Christum. Et Act. 10. Hęc sunt perspicua omnibus pijs, qui habet exercitia penitentię & inuocationis. Hanc doctrinę perspicuitatem, quę Dei beneficio luceat in Ecclesijs nostris, de Penitentia seu Conuersione conseruare studeamus.

C E R T V M est autem, illa fide, qua fit consolatio in conuersione, simul accipi Spiritum sanctum, qui & læticiam & inuocationem accendit, iuxta dictum. Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, per quem clamamus, Abba pater. Item: Effundam super domum Dauid Spiritum gratię & precum. Per hunc & noua obediencia incoatur, iuxta dictum: Dabo legem meam in corda eorum. Item: Per fidem lex stabilitur. Item: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Hęc omnia in sanctis assidua lucta crescunt, in qua assidue clamandum est: Conuerte me Domine, & conuertar.

P L A C E T mihi etiam retineri ritum priuatę Absolutionis, propter multas grauissimas causas. Nec dubium est, uoce Euangelijs & multis & singulis annuntiarı remissionem peccatorum, iuxta dictum: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Item: Si dixerit, Penitet me, remitte ei, Vbi expresse de uno loquitur. Nec tamen aliganda est remissio tantũ ad priuatam absolutionem, sed uere remissio in omni conuersione, in qua cogitata promissione Euangelijs fide accipitur consolatio. Habet & cęna Domini uim Absolutionis. Sacramenta enim sunt applicationes promissionum. Potest autem peti absolutio priuata sine enumeratione delictorum.

E X P R E S S E etiam taxamus errorem de Dubitatione, quę pertinacissime defendunt Monachi, quod uidelicet semper mandandum sit in dubitatione, an sis in gratia. Qui error & in Tridentina Synodo impio decreto confirmatus est. Hæret in hac humana imbecillitate in omnibus tristis dubitatio. Ideo autem Euangelium prolatum est ex arcano sinu æterni Patris, ut contra hanc dubitationem assermet, uere nos recipi propter Filium, gratis, & placere Deo. Et hanc promissionem uult fide accipi, iuxta dictum: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Et nisi fides repugnet dubitationi, & eam vincat, non fit inuocatio, iuxta dictum: Quomodo inuocabunt, nisi credent? Fugit mens Deum, & fremit aduersus eum, non inuocat, nec consolationem ullam habere potest, nisi eluctetur ex dubitatione. Hac tamē de re necesse est homines sæpe commoueri. Recenseatur & hic error Pontificiorum inter grauissimas causas, propter quas necesse est nos ab eis seiunctos esse. **E T** quia consideratio uoluntatis Dei à uerbo incoanda est, nec extra uerbum Dei quaerenda est, & promissio uniuersalis & mandatum uniuersale & immutabile est, ut credas filio Dei, in ueris doloribus luctandum est, ut ei assentiaris, nec dis-

putes contradictorias in Deo voluntates esse, sed fidentes te hac voce: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. In hac lucta ipse filius Dei te adiuvat, & cum uincit fides, certum est te accepisse remissionem peccatorum, nec alij raptus Enthusiastici querendi aut expectandi sunt. Ipsa fides est hoc lumen, quo Deus vere uiuificat. Nec illa subito perficiuntur, sed crescere & dolores & consolationes debent, in quibus assidue clamandum est: Conuerte me Domine, & conuertar. Hæc omnia uerissima esse pij norunt.

CVM autem integra doctrina de pœnitentia, Dei beneficio in scriptis nostrorum alibi sæpe fideliter recitata sit, hic sum breuior: tantum hoc uisatum argumentum de Satisfactionibus hic repetio:

Adæ, Dauidi, Manassæ, Nabuchodonosor non

remittitur peccatum sine pœna,

Ergo & Ecclesia debet nobis certas pœnas imponere.

NEG O consequentiã, & ratio est, Quia differentia est inter remissionem æternæ pœnæ, & pœnæ temporalis. Sententia Dei & sententia Ecclesiæ eadem est de remissione pœnæ æternæ, Deus remittit culpam & pœnam æternam simul gratis, propter filium, & idem annuntiat Ecclesia. Sed de pœnis corporalibus Ecclesia nullum habet mandatũ. Deus autem varijs modis eas imponit, alias aliter. Pœna Dauidis habebat aliam causam, quam afflictio Iob. Considerentur autem & uniuersales & singulares causæ afflictionum, ut consolationes recte accommodentur. Mors corporis est uniuersalis pœna primi peccati in omnibus hominibus in hac deprauata natura, in conuersis & non conuersis. Deinde sunt singulares pœnæ multorum, uel ante conuersionem, ut sint commonesactiones de pœnitentia, uel post conuersionem, ut horrentur, ut crescat pœnitentia, & sint exempla. Pœna Nabuchodonosor & Manassæ antecedunt conuersionem, quia Deus sic eos commonesfacit de pœnitentia, iuxta dictum Iesaiæ 29. Vexatio dat intellectum. Tristissima pœna Dauidis sequitur conuersionem, quia Deus uult insigne exemplum conspici harum regularum: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Omnis anima, quæ fecerit has abominationes, eradicabitur. A c differentias causarum docendi causa distinguimus, cum quatuor gradus afflictionum recensemus. Aliæ enim sunt τιμωρίας, ut Dauidis exilium. Aliæ δοκιμασίαι, ut carcer Ioseph. ærumnæ Iob. Aliæ sunt μαστίγια, ut supplicium Baptistæ aut Pauli. Quartum est λύσις, solius Christi passio. Ecclesia autem nec imponit nec tollit mortem corporis, nec pœnas, quibus Deus aut punit homines aut exercet. Et obœdientia erga Deum in talibus calamitatibus necessaria est. Ideo insulse detorquent monachi exēpla illa ad canonicas satisfactiones, quas nominant ipsi opera indebita.

H h 3

DOCEN

DOCENDI sunt autem homines hoc quoque, pœnas corporales multipliciter mitigari propter totam conuersionem & nouam obœdientiam, & opera debita, vt in Zacharia dicitur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Iere. 3. Conuertimini ad me, & fauabo auersiones uestras, Iefa. 33. Panis datus est ei, regem in decore suo videbunt. Iefa. 1. Si fuerint peccata uestra vt coccinum & yermiculus, eritis candidi sicut nix. Et ad Corinth. inquit Paulus: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur à Domino, id est, Si uere conuertemur ad Dominum.

DE XXII. ARTICULO.

AN CREDANT IN HOMINE esse liberum arbitrium?

RESPONDEO. Etiam in homine non renato est aliqua libertas voluntatis, quod attinet ad externa opera facienda. Vt Achilles potest impetrare manibus, vt feriant Agamemnonem, ac potest eas coercere, ne feriant. Alexander potest regere externos gestus, ne attingant Darij coniugem aut filias. Hanc libertatem aliquo modo reliquam esse, in hac corrupta natura, manifestum est. Qui nunc quoque talis est natura neruorum, vt, sicut cogitatione cœtur, obtemperare possint. Hanc libertatem vult Deus in omnibus hominibus reliquam esse, vt aliquo modo intelligant discrimen inter agens liberum & non liberum, & vt regi disciplina possint.

Ego, vt intelligi possit, dici de externis gestibus, & vt dissertationes quasdam obscuras præteream, nomino eam libertatem regendæ locomotiue, quæ forma loquendi perspicue intelligi potest ex puerili doctrina de potentijs animæ. Hæc rectio locomotiue, quæ est facere opera externa legi Dei congruentia, nominatur uisitate externa disciplina, quam seuerè præcipi à Deo manifestum est, & ex diuinis præceptis & comminationibus, vt dicitur: Lex posita est iniustis, periculis, &c. Et ex horribilibus pœnis, quæ per genus humanum regantur propter violationem disciplinæ, sicut de cædibus dicitur: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. De confusoribus libidinum: Omnis anima, quæ fecerit has abominationes, eradicabitur. De furtis: Væ qui spoliās, quia spoliaberis. De periurijs: Non habebit Deus in fontem, quicumque uane usurpauerit nomen Domini. Et non tantum præcipit magistratui Deus, vt has pœnas exequatur, sed etiam adiuuat magistratum, & cessante eo, fontes punit ipse, vt in pœna Daudis & in exemplis innumerabilibus conspicitur. Quia ostendit testimonia prouidentia, & vult intelligi discrimen iustitiæ & iniustitiæ, & vult sciri se & iustum & iudicem esse. Hac de discipli-
na

na saepe alias copiose repetuntur. Simul autem sciendum est, hanc libertatem regendam locomotivam, etiam horribiliter impediri duabus rebus, praesertim in impijs, videlicet humana infirmitate & impulsione Diabolorum. Valde saepe cedunt homines pravis affectibus, qui rectum iudicium in mente reprimunt, & alias cogitationes accendunt, quae adiuta impetu cordis, ciet externa membra ad turpia opera. ut Medea inquit: Video meliora, proboque, Detertora sequor. Et Phaedra inquit apud Senecam:

Sic cum grauatam nauita aduersa ratem
Propellit vnda, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado,
Quod ratio poscit, impedit caecus furor.

QUIA vtrunque nascentes asserimus, & exigua lucem, quae est aliqua legis notitia, & ingens incendium malorum affectuum, quos gignit peccatum originis, quia corda vacua timore Dei & vera fiducia Dei, seu vacua Deo, ardent amore sui, appetunt res prohibitas, dolent, fremunt, oderunt Deum, leges, & homines impediens quo minus possint vagari vt cupiunt. De hac contumacia cordis dicitur Genes. 6. Omnis formatio cogitationum cordis humani vana & mala est omni tempore, id est, ea quae format ipsa natura cordis, non Deus, vana & mala sunt: nisi igitur aliquo modo regi externi gestus possunt, tamen saepe tantae sunt flammae interiores cordis, vt turbato iudicio nerui impellantur effusis spiritibus a corde, & ciet externa membra, vt in ira effunduntur spiritus, & impellunt neruos, simul offusa imaginatione, quasi res bona sit depulso rei molestae.

HAEC mala naturae sunt atrociora cum accedunt singulares impulsiones Diaboli, de quibus scriptum est: Satanas intravit in cor eius. Inde sunt maxima mala generis humani, vt, libidines & pericidia Neronis, furores iniusta bella mouentium, audacia fingendi falsa dogmata, vt in Mahometo & innumerabilibus hereticis. Haec impedimenta libertatis consideranda sunt, & sciendum, in Ecclesia monstrari remedia, iuxta dictum: Filius Dei apparuit, vt destruat opera Diaboli, vt infra rursus dicendum erit, cum de libertate in renatis loquar.

PALAM etiam rejice & detestor stoicos & Manichaeos furores, qui affirmant omnia necessario fieri, bonas & malas actiones de quibus omitto hic longiores disputationes, tantum oro iuniores, vt fugiant has monstruosas opiniones, quae sunt contumeliosae contra Deum, & perniciosae moribus. Nam si omnia necessario sunt, nihil opus est deliberatione & diligentia, de qua Paulus dicit: Accurate ambulate, non vt facti. VULGARE malum est, quod reprehendit Thucydides in suis ciuibus, Fastidire vtriusque opiniones, & seruos esse absurdarum. Ita saepe homines applaudunt monstruosis opinionibus, tantum qui monstruosae sunt,

& mirantur non intellectas. Huius morbi contagia fugiant iuniores, & fontes doctrinarum quærant. Firmissima veritas est, Deum nec uelle peccata, nec impellere voluntates ad peccandum, nec adiuuare nec approbare peccata, sed vere & horribiliter irasci peccatis. Scriptum est enim: Deus non uolens impietatem tu es. Iohan. 8. de Diabolo: Quando mendacium loquitur, ex proprijs loquitur. 1. Ioh. 3. Qui facit peccatum ex Diabolo est, quia ab initio Diabolus peccat.

CUM igitur non sit causa peccati Deus, nec uelit peccatum, nec impellat voluntates ad peccandum, nec adiuuet, nec approbet peccatum, sed vere irascatur peccantibus: sequitur, Voluntates in Diabolis & hominibus non coactas, sed sua libertate abutentes auctisse se à Deo. Est igitur contingentia, & contingentia nostrarum actionum fons est libertas voluntatis.

SCIO autem multa inextricabilia in hac quaestione disputari, & fatendum est, multa fatalia & ordinata esse, ut pœnas scelerum, sicut uere in Græcis uersibus dicitur: *ἰμαρτῶν γὰρ τῶν κακῶν βολῆται τῶν κακῶν ἀποβῶν ἐκ τῆς κερτυῆς θεοῦ.* ITEM imperiorum translationes: & tamen non extruatur inde, scelera necessario fieri. Non oportuit Sextum Tarquinium Lucretiam ui opprimere, etiam si pœna diuino ordine secuta est. Sit ea modestia ingeniorum, ut honestas sententias, & quidem diuinitus traditas, modeste retineant, etiam si non omnes præstigias, quæ contra struuntur, destruere possunt. Memini Franciscum Stadianum excellentem ingenio dicere, se utraque propositionem credere: Esse determinationem diuinam, & esse contingentiam, sed se non posse omnia contraria explicare. Quamquam igitur in tanta dissimilitudine euentuum, & in ipsis disputationibus magna est caligo, tamen certæ regulæ teneantur: Deum non esse causam peccati, Et aliquam esse libertatem regendæ locomotivæ, quæ Paulus nominat iusticiam carnis, & manifestum est, Deum uelle regi disciplinam in omnibus, nec discedamus ab his regulis, ne animi incidant in Pyrrhonias dubitationes, quæ afferunt profanitatem, & odium Dei & doctrinarum. ETIAM Plato intuens mirandam dissimilitudinem euentuum, quamquam dissimiles causas recenset, tamen uerecundè diligentiam addidit lib. 4. de legibus: Omnia quidem Deus & occasio humana regunt uniuersa. Placidius tamen est concedere tertium, sequi diligentiam, ut in tempestate ars gubernatoris agentem adiuuat.

RECITATA uera sententia de hoc gradu libertatis in non renatis, profiteri & hoc necesse est contra Pelagianos & monachos: hanc disciplinam nequaquam esse impletionem legis Dei, quæ conuocatur de perfecta conformitate cum Deo, & interiore & exteriori obediencia, nec esse incoationem interioris obediencia, nec esse in-

ficiam

ficiam coram Deo, nec tollere peccata, nec mereri remissionem peccatorum. Ac saepe perspicue refutati sunt pharisaici errores, qui in monachorum scriptis de impletione legis extant.

A C C E D O ad secundam partem quaestionis. Et primum expresse damno Pelagianos, qui finxerunt non esse peccatum originis, & ita amplificauerunt liberum arbitrium, ut dixerint, hominem viribus naturalibus sine Spiritu sancto posse legi Dei satisfacere, interiore & exteriore obedientia. Abhorreo ab his blasphemijs contumeliosis in filium Dei, & in Spiritum sanctum, & delentibus veram doctrinam de lege, peccato, gratia, & de beneficijs Dei, quae per filium Dominum nostrum Iesum Christum & Spiritum sanctum nobis exhibentur. Et amplector dictum filij Dei: Si vos filius liberauerit, uere liberi eritis. Et dicta Pauli: Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Item: Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et Deo gratias ago pro his summis bonis, pro donato filio & Spiritu sancto. Non possunt tolli peccatum & mors, libero arbitrio hominum, nec potest voluntas humana incoare interiorum obedientiam sine filio Dei, sine Euangelio, & sine Spiritu sancto. Talis non est libertas humanae voluntatis. Sed tamen in renatis qualis sit libertas, considerandum est, quia non est minor libertas in Ioseph, quam in Scipione. Simul etiam considerandum est, quid intersit inter castitatem Ioseph & castitatem Scipionis. Rursus igitur de rectitudo locomotiuae dico, quia haec actiones magis à populo intelliguntur, & multae sunt in communi vita, ac prodest omnibus, hominibus ostendi, quomodo etiam haec disciplina in sanctis Deo placeat, & fiat cultus Dei, de quo dicit Paulus: Sugillo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne alijs praedicans ipse reprobus efficiar. Sic igitur perspicue dico: **M A N E T** in sanctis libertas regendae locomotiuae, quia Spiritus sanctus non debilitat naturam neruorum creatam à Deo, sed potius adiuuat, quia cogitatio uerbi Dei fit illustrior & firmitior in Ioseph, accensa à filio Dei per doctrinam, & motus in corde excitantur à Spiritu sancto. In Scipione etiam est cogitatio legis: Non machaberis, tamen in corde non ardet dilectio Dei, & sunt multae errantes flammæ. In Achille est cor plenum ira, etiam si manus reprimuntur.

In Dauid cum parcit Sauli, cogitationes multae diuinitus offeruntur, & in corde est ingens miseratio. Quare etiam si foris haec opera uidentur similia, tamen intus causae dissimiles sunt: Filius Dei accendens cogitationem in mente per doctrinam, & Spiritus sanctus excitans motus in corde, qualis ipse est, & voluntas obtemperat uolens, non coacta. Dauid, praesertim cum haberet Spiritum sanctum, repugnare incendio adulterij poterat, & uolens peccat, nec necesse fuit rapere eum alterius coniugem. Repugnat Ioseph illecebris, &

H h 5 uolens

volens repugnat. Vt igitur & externa bona opera minus impediatur naturæ infirmitate & insidijs Diaboli, & vt iusticia bonæ conscientie retineatur, intelligamus quam magna auxilia Deus nobis donauerit. Filius depellit Diabolos, iuxta dictum: Apparuit filius Dei, vt destruat opera Diaboli. Item: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Datur & Spiritus sanctus, qui intus nos adiuuat, iuxta dictum: Effundam super domum David Spiritum gratiæ & precum. Ac docet nos vox diuina de vtraque re, & de precatione & de diligentia, vt: Orate ne intretis in tentationem. Item: Semper orate. Item: Quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Item: Accurate ambulate, non vt fatui. Et Romanus dulcissime dicitur: Exhibete membra vestra arma iusticiæ Deo, est in græco verbo *πραγματικῶς* maior est emphasis, adiuuante. Nominat autem membra, quod vltate dicimus potentias omnes, interiora & exteriora membra. Vult lucere in mente veras cogitationes de doctrina diuinitus tradita, vult vinci dubitationes, & confirmari assensionem in veris sententijs, vult refutari contraria. Deinde vult comitem esse voluntatem, filij Dei docentis mentem & Spiritus sancti trahentis seu ducentis, vt verbo Pauli vitium, vult in corde reprimi praua incendia, vult sensus, linguam, manus firmari, vult vitari occasiones lapsuum. Hæc vera, perspicua & vtilia esse omnibus pijs manifestissimum est. Prodest enim vtrunque confirmari inuocationem & diligentiam, & in his exercitijs crescit lux in mente. Simul etiam cogitandum est, quomodo hæc obedientia Deo placeat, quæ etsi in alijs ardentior est, in alijs languidior, tamen nequaquam satisfacit legi Dei, sed pertinet ad iusticiam bonæ conscientie de qua Paulus dicit: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Persona iusta est sola fide propter mediatorum. Deinde placet obedientia, quæ est iusticia bonæ conscientie, quæ regitur inuocatione Dei & Spiritu sancto, & est fructus Spiritus sancti, & cultus Dei, quia petitur, sentitur, & prædicatur auxilium Dei, & ostenditur quod Deo hic honos tribuatur, qui in credere propter filium placet, sicut Petrus inquit: Offerre hostias spirituales acceptas Deo per Iesum Christum: & in agnitione auxilij diuini aguntur gratiæ Deo. Hanc totam doctrinam, quomodo disciplina & præitari possit & placeat, vtilem esse omnibus pijs manifestum est. Iam considerentur & actiones propriæ vocationum, de quibus dicit Ieremias: Scio Domine, non est hominis via eius. Verissimum est, mirandis modis à Deo colligi, gubernari, protegi, liberari & seruari Ecclesiam, & dari bonos euentus, vt dicitur Iesa. 46. Ego feci, ego gestabo & saluabo, ego ipse etiam in senecta gestabo vos. Nec magnitudini & multitudini periculorum & negotiorum parum esse

esse humanas vires, multaue accidere omnibus hominibus inexcitabilia humanis consilijs & viribus, manifestissimum est, vt cū familia Noë seruatur in undis, multitudo Israel ad mare rubrum, Daniel inter leones. Et singuli suas ærumnas, mitigationes & liberationes intueantur. Quamquam igitur valde multa sunt à solo Deo in talibus liberationibus, tamen non delendæ sunt regulæ, quæ præcipiunt inuocationem, diligentiam ac laborem, qui etiam in renatis aliqua ex parte sunt voluntatis, de quibus dicitur Rom. 12. Qui præest, præstet diligentiam. 1. Cor. 4. Hoc requiritur vt fideles simus. Vult Deus conspici suam præsentiam in Ecclesia in mirandis liberationibus, vult sciri quod exaudiat inuocantes, & vult inuocari, vult etiã nos esse organa aliquorū laborum, quos & ipse adiuvat, sicut dicitur: Labor vester non est inanis in Domino. Sunt in renatis in interiore homine multi magni dolores de peccatis & de pœnis proprijs & publicis: & rursus consolationes, fides, inuocatio Dei, læticia in Deo, initium dilectionis Dei, timor filialis, patientia. De hoc genere etiam fatendum est, multa fieri in omnibus sanctis, in quibus voluntas habet se tantum vt subiectum patiens, vt 2. Cor. 1. dicitur: Excellenter onerati fuimus supra vires, vt desperaremus de vita, & quidem ipsi in nobis responsum mortis habuimus, nec confidamus in nobis, sed in Deo, qui exuscitat mortuos, qui ex tanta morte nos liberauit & liberat. Sed tamen in communibus exercitijs fidei & inuocationis, quia Paulus dicit: mente seruo legi Dei. significat etiam voluntatem, quatenus sanari cepit, comitem esse spiritus sancti. Et tamen restat in homine multum caliginis, dubitationis, & magna contumacia cordis, vt in vulnere quod sanari cepit, magna pars adhuc restat putris & purulenta. Nomina enim regenerationis & renouationis significant aliquam fieri mutationem in aliqua parte hominis, non significant tantum inhabitationem sine mutatione nostri, sicut in arcam vestis imponitur. Ideo etiam præcipitur, vt illa initia fidei exerceamus, sicut Paulus iubet Timotheum *ἀνακαρτερον* donum Dei, quod in ipso erat. Et 2. Cor. 6. Hortamur ne frustra gratiam Dei acceperitis. Manifestum est enim crescere fidem collectione testimoniorum, & precatione, vt præcipit Paulus: Estote assiduus & intentus in lectione, doctrina & consolatione. Item: Sermo Christi habitat in vobis opulenter, in omni sapientia, & docete & emendate vos mutuo. Item: Orate ne intretis in tentationem. Perite & accipietis. **F I T** & ipsa precatio ardentior, cum accedit cogitatio de periculis & calamitatibus nostris & nostrorum. Item de præcepto diuino, de promissionibus, & de præsentia Dei exaudientis inuocantes. Denique nihil dubium est, oratio & negligentia languescere aut extingui dona, sicut docet parabola de negotiantibus, Matth. 13. Manifestum est & varie oppugna-

oppugnari fidem in illis ipsis quoque, qui ad Deum conuersi, renati, & sancti sunt, cum aut aspiciunt suam infirmitatem, aut disputant de electione. His certe opus est labore quærente dicta, quæ Deus consolationis causa proposuit. Indignitati opponantur dicta de gratuita reconciliatione propter filium, & de intercessione filij, qui inquit: Pater dilige eos ea dilectione, qua me diligis. De electione teneant consolationem: Beati mortui qui in Domino moriuntur, nec inquirant ea, quæ Deus non iussit inquiri, sicut Siracides inquit: Quæ præcepit tibi Deus, sancte cogita. Retineant igitur conuersi certitudinem, nec succumbant dubitationi, quæ affert profanitatem aut desperationem. Sicut Tridentina Synodus fecerat decretum, semper dubitandum esse. Reuera statuatur pij, cum in veris doloribus eriguntur voce Euangelij, tunc se & habere reconciliationem, & arrationem Spiritum sanctum. Nitantur autem verbo, iuxta dictum: Sperauit anima mea in verbo eius, sperauit anima mea in Domino. Excuteatur autem Spiritus sanctus, si voluntas succumberet dubitationi. Semper in hac vita in sanctis durat hæc lucta de indignitate, & de particularitate, & cum uincit dubitatio, sequuntur in corde fuga & fremitus aduersus Deum, & odium Dei, aut horribilis profanitas, aut desperatio, sicut Cain inquit: Maior est iniquitas mea, quam ut remitti possit. Et de multis extant historiae, qui desperatione oppressi sunt propter disputationem de electione, seu de particularitate, ut ante paucos annos quidam nomine Spiera in Italia hoc modo perijt. Ego memini quendam, qui huc venit, ut consolationem audiret, ac fatetebatur se sæpe relapsum esse in adulteria. Hic cum doceretur à reuocando domino pastore, Doctore Pomerano, ut si doleret se peccasse, peteret absolutionem, & crederet Euangelio, ac statueret se verè recipi à Deo gratis propter filium, Ibi ille contra, se fortassis non esse electum, disputat. Pastor iubet eum credere promissioni, omissa illa disputatione. Tum ille sprete voce promissionis inquit: Qualis hic Deus esset, qui me non posset damnare? Hæc est rationis imaginatio, discedentis è verbo Dei. Non est autem efficax Spiritus sanctus in eo, qui ne vult quidem audire Euangelium, cum scriptum sit: Fides ex auditu est. S I N T igitur noti fontes veræ consolationis, & sciamus non ex lege, nec ex ratione iudicandum esse, sed ex Euangelio, quod filius Dei ex sinu æterni Patris protulit. Inde contra indignitatem & contra vocem Cain opponamus meritum filij, & promissionem de gratuita remissione: Gratia exuberat supra delictum. Item: Iustificati gratis fide: & audiamus dicta, quæ præcipiunt ut filio credamus: Hunc audite. Qui non credit iam iudicatus est. Ioh. 5. Qui non credit Deo, mendacem facit eum. Est autem & in plurimis renatis languida fides, & vt parua scintilla in magna caligine, & in-

coata nouitas est, vt parua guttula collata ad amplitudinem Oceani. Nemo vnus præcepti magnitudinem perspicit, & hærent in renatis multæ sordes & multa peccata, sicut Iob inquit, Vere scio quod non est iustus homo coram Deo. Hæc quanquam ita sunt, & nostra miseria veris doloribus deploranda est, vt Paulus clamat, Miser ego homo. Et in Psalmis dicitur: Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino. Item: Tibi tantum sum peccator, &c. tamen vincat fides, qua statuant conuersi ad Deum se habere remissionem peccatorum, placere Deo, & iustos esse sola fide propter mediatorem, quam adhuc in nobis tanta est infirmitas & immundities, cui opponamus hæc dicta: Gratia exuberat supra delictum. Item: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Item: Infirmitas in fide suscipite. Item: Credo Domine, sed opem ser imbecillitati meæ. In his exercitijs crescunt fides & alia dona Spiritus sancti.

Hanc consolationem Papistæ delent, qui iubent manere in dubitatione. Enthusiastici uero transferunt à verbo Dei & fide in simulatos assensus. iubent etiam manere in dubitatione, donec sentias te rapi, & cogi repugnantem ut credas. Contra hanc imaginationem etiam voce Evangelij nos sustentemus: Regula firmissima est: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Quare conuersi non recidunt in dubitationem, ita vt vincat dubitatio, quam sequuntur fuga & fremitus aduersus Deum, vel profanitas vel desperatio, vt multi recidunt, de quibus dicitur Lucæ 8. Diabolus rapit verbum ex corde eorum. **HABENT** autem conuersi auxilium, quod non aspernentur, videlicet Spiritum sanctum, quem non contristent, sed cogitatione verbi Dei & ardenti prece excitent, sicut Paulus iubet Timotheum *ἀναζητεῖν* donum Dei. **QVANTVM** autem hi motus in alijs ardentiores, in alijs languidiores sunt, tamen etiam infirmi sciunt, se debere & posse iuuante Spiritu sancto dubitationi repugnare, Et hic monendi sunt infirmi, vt in inuocatione cogitent de æterno Patre & Filio Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto: cogitent quid inuocent, cur exaudiantur, & cur detur Spiritus sanctus, non existiment eum frustra dari, sed uelle Deum, vt & ipsum Spiritum sanctum agnoscamus, & magnitudinem doni cogitemus, & serio petamus, sicut scriptum est: Quanto magis Pater vester celestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Item: Effundam super domum David Spiritum gratiæ & precum. At multi, etiam si quid cogitant in prece de redemptore Filio, tamen nihil cogitant de Spiritu sancto, neque quid sit, neque cur detur. Hic stupor deplorandus & emendandus est. **SICVT** igitur etiam conuersi postea consolatione erigendi sunt, ita in ipsa conuersione dicendum est ijs, qui iam habent dolores, ne maneant in dubitatione, donec vi cogantur cre-

tur credere, sed audiant & cogitent Euangelium, quo Deus est efficitur & trahit corda, & sciant se tunc esse illos auditores, ad quos dictum est: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Item: Vbi habitabit Dominus? In spiritu contrito & humiliato & tremante sermones meos. Nec tales, qui sunt in ueris doloribus, turbandi sunt disputationibus de electione, de qua perspicua & firma consolatio est ex effectu sumenda: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Iam in presentibus doloribus cogitent quid præceperit Deus, uidelicet ut audiant Euangelium, nec omisso Euangelio quærant alia. Regulam igitur teneant: Quæ præcepit Deus, hæc sancte cogita. Nota sunt autem præcepta immutabilia: Agite poenitentiam, & credite Euangelio. Item de filio: Hunc audite. Cur prius scire vis, an sis electus, quam credis Euangelio? **S**ed dicunt illi disputatores, Euangelium tantum ad electos pertinere. Ad id respondeo, enim non omnes accipiunt consolationem (ut prius de adultero illo dixi) tamen promissio est vniuersalis, & certum est pertinere eam ad omnes qui eam accipiunt. Proponamus igitur nobis vniuersalia dicta. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Rom. 10. Idem omnium Dominus diues in omnes, qui inuocant eum. Roma. 11. Conclusit Deus omnes sub inobedientiam, ut omnium misereatur. 1. Timoth. 3. Deus vult omnes homines saluos fieri. Roma. 2. Non est acceptio personarum apud Deum.

DENIQUE manifestissimum est, mandatum Dei vniuersale & immutabile esse, ut omnes credant filio, iuxta dictum: Hunc audite. Et in Psalmo: Beati omnes quia confidunt in eum. Hi qui sunt in doloribus, non maneant in dubitatione, quia id esset cumulare horribilia peccata, nolle audire filium Dei, nolle cogitare de immensa bonitate Dei, mittentis filium, copulantem sibi humanam naturam, nolle credere promissioni, fremere aduersus Deum. Sed repugnant dubitationi. Cumque disputant fidem Dei donum esse, sciunt donum per uerbum, & sustentantem se voce Euangelij uere trahi Spiritu sancto incoante consolationem, & accedente inuocationem, qua assidue petendum est: Conuerte me Domine & conuertar. Item: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meæ. Hæc in docendo & consolando, & in ipsa experientia usum habent. Hoc modo & in scriptis & coram Lutherus interrogantes consolatus est, ut multi norunt, qui adhuc uiuunt. Et congruunt hæc ad uetera dicta: Præcedente gratia, comitante uoluntate. Et Nazianzenus uerecunde loquens de uoluntate, sic ait: πῶς τὸ καθ' ἑμῶν παρὰ τοῦ ἐπιδοθέντος τοῖς καθ' ἑμῶν καὶ ἐν τῷ νόμῳ. Orditur à uerbo, uocari & trahi inquit uoluntatem, quæ non expectet coactionem, sed iustetur, ut assentatur promissioni. Donec enim omnino repugnet uoluntas, nulla facta est.

est conuersio. Ideo inquit Chryſoſtomus : *ἔκκη ἰδοὶ τὸν θεόν, βαλόμενον ἐκ
ἐκκλ.*

SEMPER Ecclesiam hi duo exercitus hostiles circumſident, Pelagiani & Enthufiastici. Pelagianorum similes fuerunt Pharisæi, & deinde Papiſtici, & magna legiones Monachorum, qui fixerunt externa disciplina legi Dei satisfieri, & mereri homines illa umbra disciplinæ remissionem peccatorum, & iustos esse. Enthufiastici sunt, qui gloriose iactitant afflatu sine uerbo Dei, ut Anabaptistæ, & Stenckfeldius multis voluminibus contendit, Deum se communicare hominibus sine ministerio seu cogitatione doctrinæ. Postea accedere doctrinam, ut exterior homo habeat exercitium. Hac fanatica prorsus improbanda sunt.

ALII non volunt uideri tollere doctrinam, & tamen remouent consolationem, quæ incoatur uerbo, cum disputant promissionem particularem esse, & ponunt contradictorias voluntates in Deo. His oppono dictum : Fides ex auditu est. Et quæ potest esse fides, si depellatur mens à promissione his fulminibus ? Fortassis nihil ad te pertinet promissio, expecta violentos raptus & coactionem.

SCIO alias disputationes horridiores à quibusdam moueri, quarum certe modum aliquem esse oportet. Ego his qui sunt in cœtu uocatorum, & sunt in doloribus, propono uerualem promissionem, nec pono contradictorias in Deo voluntates, & sæpe cogito agonem cuiusdam sancti viri, qui subinde repetebat hanc uocem ante mortem : Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Vidimus ipsum Lutherum in suo quodam agone ego & alij sæpe repentem hoc dictum : Conclust omnes sub peccatum, ut omnium miseretur. Memini sanctam matronam his uerbis sæpe repetitis in agone ostendere se uera consolatione erectam esse : Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos.

ET nota est mihi Dei beneficio, antiquitas. Congruit hæc sententia, in qua acquiesco, cum sanioribus scriptoribus piæ uetustatis. Et qui Augustinam durius interpretantur, iniuriam ei faciunt. Et tamen simul fateor plurima Deum in omnibus sanctis ita agere, ut uoluntas tantum sit subiectum patiens. Interea tamen regula tenenda est : Fides ex auditu est, cogitatione promissionis nos sustentemus, repugnemus diffidentia, & inter ueros gemitus dicamus : Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meæ.

ARTICVLVS XXIII.

AN SOLA FIDE HOMO
iustificetur ?

RESPONDEO plane & perspicue. Vera est propositio, & firmissime retinenda : Homo iustificatur sola fide, scilicet, coram Deo, & parti-

& particula exclusiua expressa est à Paulo vocabulo gratis. Nec alia est sententia huius propositionis in Ecclesijs nostris, quam quæ est verborum Pauli Roma. 3. Iustificamur autem gratis ipsius gratia per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem posuit propitiatorum per fidem in sanguine eius. Et quomodo intelligantur uocabula & tota propositio, id ex longioribus scriptis sumi potest.

A c nequaquam transformo Pauli dicta in Synecdochen Origenicam aut Stenckfeldianam, quæ omnes sic interpretantur Paulum: Fide præparamur ad iustitiam, ut postea alia re, scilicet, alijs virtutibus, dilectione seu nouitate, seu iustitia essentiali, simus iusti coram Deo, ut si dicas: Motu corpus animalis calefit, id est, præparatur ad calorem, ut postea alia re, scilicet calore, fit calidum. Sic Papistæ dicunt, Homo est iustus fide formata, qui hoc uolunt, non fide, sed ceteris virtutibus hominem iustum esse. I D E M sentit Osiander, sed nominat causam pro effectu. Homo est iustus Deo ipso habitante in homine, & efficiente nouas virtutes.

E T S I autem uerum est, cum in conuersione fit uera consolatio fide per Spiritum sanctum, habitare Deum in cordibus, & incoari nouam obedientiam: tamen semper standum est in hac uita, personam iustam esse coram Deo, sola fide, id est, habere remissionem peccatorum, & reconciliationem seu imputationem iusticie, placere seu acceptam esse personam Deo ad uitam æternam & hæredem uitæ æternæ sola fide, id est, fiducia mediatoris. Ut, quanquam in Paulo renato habitat Deus, & sunt excellentes uirtutes: tamen quia adhuc in eo peccatum est in hac uita, persona habet remissionem peccatorum, reconciliationem & imputationem iusticie, & est iusta, placens Deo, & accepta ad uitam æternam sola fide, id est, propter solum mediatorem.

H I C intellectus propositionis confirmatur per hanc Antithesin: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item: Vere scio quod homo non fit iustus coram Deo.

A L T E R V M membrum Antithesis: Iustificamur gratis fide propter Christum.

A G N O S C I T Paulus, se in iudicio Dei nec propter opera, nec propter excellentes uirtutes donatus à Deo, iustum esse, id est, habere remissionem peccatorum, & imputationem iusticie, & acceptum ad uitam æternam: Sed propter mediatorem, sola fide. Ita semper accedimus ad Deum fiducia solius mediatoris, sicut Daniel inquit: Non propter iusticiam nostram, sed per misericordiam propter Dominum exaudi nos.

H A N C consolationem ueram & necessariam esse omnes pij intelligunt. Et tamen postquam persona fide recepta est, & pacem habet apud Deum, sequens nouitas est iusticia, id est, obedientia congruens cum uerbo Dei, & in credente placens Deo, sicut Petrus inquit: Offerre Deo hostias spirituales acceptas Deo per Iesum Christum.

D E N I Q U E qui
no

non retinent exclusiuam, delabatur in Synecdochen Origenicam aut Papisticam, etiamsi apud alios alia sunt verborum præstigia, vt, quicumque sic interpretantur dictum: Fide sumus iusti, id est, in præsentia nouitate. Id cum dicunt, dissentiunt à seipsis, quia hæc dicta dissentiant, Sola fide, & sola nouitate. CLAMAT autem vniuersa doctrina Prophetica & Apostolica, Sola misericordia homines in hac vita certò propter Mediatorem iustos esse, & hæc misericordia apprehenditur sola fide, qua audientes promissionem reconciliationis, & intuentes filium Dei mediatorem sustentamus nos in veris doloribus, sicut in Psalmo dicitur: Saluum me fac propter misericordiam tuam.

Et hac ipsa Fide per Spiritum sanctum fit consolatio, & liberatio ex doloribus inferorum, de qua dicitur: Iustificati fide, pacem habemus apud Deum. Et hæc ipsa fides & pax, id est, læticia, qua acquiescimus in Deo, sunt motus accensi per Spiritum sanctum, in quibus motibus vere agnoscuntur æternus Pater remittens peccata, & Filius mediator, propter quem remittuntur peccata, & imputatur iusticia, & Spiritus sanctus lætificans & viuificans corda, sicut Paulus inquit: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus, Abba pater. Item Ephes. 1. Audito Euangelio credentes obsignati estis Spiritu sancto, qui est arrabo hereditatis. ET S I autem interdum veteres scriptores negligentius locuti sunt, tamen nõ dubium est, omnes conuersos ad Deum testari, hanc sententiam veram esse, quam multi didicerunt etiam in sua conuersione, quanquam in explicando alias magis, alias minus plane loquuntur.

RECTA loquitur Bernardus in sermone tricesimo secundo in Cantico, si sine calumnia intelligatur: Quisquis pro peccatis compunctus esurit & sitit iusticiam, & credit in te, qui iustificas impium, is per solam fidem iustificatus pacem habebit apud Deum. Hæc verba recte intellecta suffragantur nostræ sententiæ. SIC & Basilius particula Sola fide usus est in conuersione de Humilitate. Qui gloriatur, in Domino gloriatur, dicens quod Christus nobis factus sit sapientia à Deo, iusticia & sanctificatio, sicut scriptum est: Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Hæc est enim perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque propter iusticiam suam quisquam effertur, sed agnoscit se indigere vera iusticia, Fide autem sola in Christum iustificari. Denique antithesis consideretur. Pontificij delent consolationem, quæ est propriissima vox Euangelij. Iubent enim semper dubitare, an sis in gratia. Hæc dubitatio cum sit impia, necesse est contradictoriam sententiam retineri, quod in conuersione oporteat fide accipi remissionem peccatorum, & statui quod sis in gratia. Et hæc fides nititur sola misericordia propter mediatorem promissa, iuxta dictum: Ideo ex fide gratis, ut sit summa promissio. Hæc antithesis ualde perspicue refutat Pontificios.

cios. Quia ubi hæret dubitatio, quam docent, corda fugiunt Deum, nõ inuocant, & sequitur aut profanitas aut desperatio, iuxta dictum. Quomodo inuocabunt non credentes? Et Augustinus inquit: Peccatio sine fide peccatum est. Et extant perspicua dicta sanctorum scriptorum, quæ simul & dubitationem prohibent, & continent exclusiuam. Vt, Augustinus inquit: Totius fiduciæ certitudo est in precioso sanguine Christi. Item: Tota spes mea est in morte Domini mei, &c.

EXTANT autem nostræ declarationes & confirmationes, ex quibus etiam sumatur responsio ad præstigijs, quibus obruere veritatem Pontificij conantur.

ARTICVLVS XXIIII.

AN CREDANT, BONA OPERA
facta in dilectione, esse merita
vitæ æternæ?

PLANE respondeo. Bona opera, etiam renatorum, nequam sunt merita vitæ æternæ: sed simul gratis propter filium Dei, sola fide, iustificatur homo & viuificatur Spiritu sancto, & fit hæres vitæ æternæ, sicut expresse Paulus inquit: Donum Dei est vita æterna. Et Ioan. 3. Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Item Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Item 1. Ioan. 5. Qui habet filium, habet vitam, &c.

ILLUSTRATIONEM & hanc sententiam Antithesis: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Item: Vere scio, quod non sit homo iustus coram Deo. Ergo nostra obedientia non est meritum seu precium vitæ æternæ, seu res digna vita æterna.

HANC consolationem, quæ est perspicua vox Euangelij, retineri necesse est. Nec inde sequitur, Bona opera non sunt meritum vitæ æternæ. Ergo concessa est licentia scelerum, sicut Antinomorum doctrina & vita sonant. His opponimus hanc firmissimam propositionem: Debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus. Item 1. Cor. 6. Ne erretis, neque scortatores, neque idololatræ, neque mæchi, &c. regnum Dei possidebunt. Galat. 5. Talia facientes regnum Dei non possidebunt. 1. Timoth. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Neque enim filius Dei ideo sustinuit ineffabiles dolores in agone & in morte, vt tu furenter laxes frænum omnibus cupiditatibus, sed venit vt destruat opera Diaboli, Et sic destruit: Merito & efficacia, meretur nobis remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, donationem Spiritus sancti & vitæ æternæ: & est efficacia per Euangelium, cum sit remissio peccatorum, & imputatio iusticiæ.

Æternus

Aeternus Pater & Filius effundunt Spiritum sanctum in corda audientium Euangelium, vt dictum est: Effundam super domum David spiritum gratiae & precum. Accenditur in cordibus fides per Spiritum sanctum, qua fit consolatio, & laetitia acquiescens in Deo, quae est restitucio quod sis in gratia, & sis ereptus ex inferis.

Cum hac consolatione simul coniuncta est vera inuocatio, ideo nominatur spiritus precum. Haec est inuocatio nouae obedientiae in cordibus. Quia Spiritus sanctus & alios tales motus accedit, qualis ipse est. Hanc inuocationem nouae obedientiae fieri in vera conuersione seu regeneratione certum est. Et fieri ideo, quia filius Dei venit, non vt stabiliat & augeat peccatum, sed vt destruat, & nos faciat templum Dei.

Quoniam autem haec inuocatio est vt scintilla in densa caligine, & adhuc haerent in nobis in hac vita multa peccata, dubitationes, praua incendia affectuum, iniusta securitas, & impatientia, omissiones & ignorantiae: tamen vox diuina discernit peccata. Manent peccata in Sanctis in hac vita, sed non ea, quae sunt contra conscientiam. Ideo dicitur: Retine fidem, & bonam conscientiam. Nec est in Sanctis defensio idololatriae aut erroris, qui pugnat cum fundamento, id est, qui delet articulum fidei, siue fiat ea defensio ab intelligente, siue a non intelligente, pertinaciter. Scriptum est enim: Qui non credit iam iudicatus est. Et 2. Ioan. 1. Qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Item: Fundamentum aliud ponere nemo potest, praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.

Affirmo igitur perseverantes in delictis contra conscientiam, ita non defensores idolorum aut errorum, tollentium aliquem articulum fidei, nequaquam conuersos esse ad Deum.

Affirmo etiam, labentes in talia scelera excutere Spiritum sanctum & fidem, & rursus fieri reos aeternae poenae, quorum aliqui redeunt ad poenitentiam, vt Aaron, David, rursus ad Deum conuertuntur & recipiuntur in gratiam: multi non redeunt, vt Saul, ruunt in aeternas poenas.

Hanc doctrinam expresse traditam esse in scriptis Prophetis & Apostolicis manifestum est. Vt Ezechielis 18. 1. Cor. 6. &c. Quare Antinomi somniantes in Euangelio licentiam concedi ruendi in scelera contra conscientiam, pugnant cum articulis fidei, & sunt inter eos, qui transferunt gratiam in *anathemam*. Hanc horrendam descriptionem utile est diligenter considerare.

Non est extenuandum peccatum, quod reliquum est in sanctis in hac vita, quod quo magis proficiunt pii, magis agnoscunt & deplorant, sicut Paulus inquit: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, & captiuantem me legi peccati, quod est in membris meis. Ingens & horribilis confusio est dubitationum, cum quibus tamen scintilla fidei,

accensa per filium Dei voce Euangelij & Spiritu sancto, assidue iustatur. Nec sit ea lucta sine ingentibus doloribus. Sentiantur & magis fremus impatientia, & incendia cupiditatis vindicta, amorum & odiorum. De his inquit Paulus: Si actiones carnis spiritu mortificabitur, viuetis. Item: Non regnet peccatum in mortali corpore vestro, vt obediatis ei: nec exhibete membra vestra arma iusticiae.

N E C E S S E est igitur discerni regnans peccatum, & non regnans. Et furor Antinomorum execrandus est, qui securitatem carnalem confirmant, & delent conuersionem, ac fingunt, homines esse iustos fide, etiam fuertes in scelera contra conscientiam. Hunc furorem damnamus: & tamen dicimus, nouam obedientiam nequaquam esse meritum vitae aeternae.

E R A N T in latrone conuerso in cruce initia nouae obedientiae: Lucebat in conuerso tanta fides, vt agnosceret vitam futuram datorem esse hunc Iesum, quem non solum mori uideret, sed etiam audire hanc tristissimam vocem emittentem: Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? Habebat igitur hic conuersus latro haec summa bona, quae describuntur in hoc dicto: Haec est vita aeterna, vt agnoscat te solum verum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Agnoscebat verum Deum, patrem huius Messiae, & in fiducia mediatoris eum innocabat. Inuocabat & ipsum Messiam. Et cum vera fuerit conuersio, dolores etiam in eo magni de peccatis fuerunt, quos ostendit, cum fateatur se iuste puniri. Petiuit remissionem, cum ait: Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum. Et audiuit absolutionem addito iuramento: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. **H A C** consolatione audita, sentit anima, se viuificari Spiritu sancto, qui iustitiam, dilectionem Dei, & multas magnas virtutes simul afferebat. Iamque Deo gratias agebat, habebat bonum propositum, volebat aliquo modo hanc iustam penam à Deo ordinatam, quia Deus uult conspici iustitiam suam & iram aduersus scelera, praestabat patientiam & humilitatem, iuxta dictum: Humiliamini sub potenti manu Dei, ostendebat fidem in confessione contra alterum latronem, & pios audientes confirmabat, ac fiebat eis Apostolus in cruce pendens.

H A E C omnia nominantur in Paulo ambulare in nouitate Spiritus, ad Roman. 7. Et nominantur fructus Spiritus ad Galatas.

P R O D E S T autem & ad consolationem & ad excitandos nos, vt data dona exerceamus, scire, quomodo haec incoata & exigua obedientia Deo placeat. Quia vtrunque sciendum est, & quomodo persona placeat, & quomodo placeat incoata obedientia & bona conscientia.

V T O R autem docendi causa his tribus admonitionibus in hac re, nec impedito, si quis velit haec copiosius explicare. Vera tamen & perspicua & necessaria me dicere non dubito.

I. Necessesse est in conuersione statuere, quod persona placeat Deo

propter

propter filium gratis sola fide. **I**. Agnoscamus nos nequaquam legi satisfacere, sed hæere in nobis adhuc multa peccata, & has fordes uero dolore deploremus. **II**. Sciamus tamen incoandam esse obædientiam, & oportere in nobis esse bonum propositum non faciendi contra conscientiam. Et hanc incoatam obædientiam quam languidam, tamen etiam placere propter Mediatorem in conuersis, qui & repugnant infirmitati suæ, & credunt eam sibi remitti propter mediatorum.

HÆC exercitia fidei in quotidiana inuocatione considerentur. Et quamquam hæc obædientia nequaquam meretur vitam æternam, tamen iuxta promissiones de operibus: Date & dabitur vobis, & similes: habet in hac vita præmia spiritualia & corporalia, iuxta consilium Dei, mitigationem multarum publicarum & priuatarum calamitatum, sicut vidua Sareptana nutritur tempore famis. Et Abdemelech Eunucho, promittitur incolumitas in excidio Ierusalem, quia extraxerat Ieremiam ex puteo, Ieremiæ 38. Et Iesaias inquit cap. 33. Panis ei dabitur, & regem in decore suo uidebunt. Matth. 10. Si quis dabit potum aquæ vni ex minimis meorum propter doctrinam, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Et ad Corinth. Si nos iudicemus ipsi, non iudicemur à Domino. Aaron, Dauid, & innumerabiles homines, etiam electi, attrahunt pœnas suis lapsibus. Denique etsi vita æterna propter filium gratis datur: tamē & ipsa est amplissima remuneratio pro sanctorum obædientia, vt Matth. 5. dicitur: Merces vestra copiosa est in cœlis. Vt patrimonium uenit filio, non quia meretur, sed quia natus est ex illo patre. Et tamen est officiorum compensatio. **H**ÆC doctrina vera & utilis est ad exercitia piorum, ac iudico de ea consensum esse in nostris Ecclesijs, nec dubito eam esse & vocem, & incorruptam sententiam traditam in scriptis Prophetis & Apostolicis.

CVM autem hæc repetitio breuis sit, volo eam intelligi, vt in alijs probatis scriptis Ecclesiarum nostrarum prolixius recitatur. Absit autem sophistica, & sit modus disputationum. **E**TIAM in hac quæstione de operibus Ecclesiam omnibus ætatibus circumfuderunt duo exercitus: alter Superstitiosorum, uidelicet Pharisei, Papiſtæ, Monachi, & horum similes, qui deleta doctrina fidei somniarunt se meritis suis in cœlum ascendere, vt in tabula Ceberis ascensus in verticem montis pingitur: alter est Antinomorum, in quo multi Cyclopica barbarie oderunt legum vincula, vt sophista illè apud Platonem nominat legem tyrannum. Aliqui astuti aut fascino iactant Enthusiasticos, vt Anabaptistæ, & olim Pepusiani, & alij similes, qui tollunt discrimen peccatorum, dicunt se manere iustos etiam cum ruunt in scelera contra conscientiam. Quidam mihi interroganti, quid doceret de operibus, respondit: Deus non curat opera. Quam tetra

Ii s & bar

& barbarica hæc vox est? An Deus non discernit adulterium Dauidis & castitatem Ioseph? Quidam hanc propositionem negant: Noua obædientia est debitum, quia sit spontanea. Et meminì quendam cum contenderet non recte dici, nouam obædientiam necessariam esse, hoc epiphonemate ingêtes plausus excitare, *Das muß ich verfallen*. Hæc impudentia siue à barbarie, siue à vanitate ingeniorum orta, manifeste refutatur dicto Pauli: Debitorum sumus. Et in epistola Ioannis dicitur: Et nos debemus nos mutuo diligere. Et Luca 17. dicitur: Serui inutiles sumus, quia quod debuimus facere, fecimus.

SIGNIFICANT autem hæc duo vocabula, debitum & necessarium, ordinem diuinum & immutabilem, quo creatura rationalis Deo creatori subiecta est, quem ordinem intelligit creatura rationalis & libera, & scit sua libertate non turbandum esse. EST autem insulsa interpretatio & *ἀνεργονία* dicere, Debitum & necessarium esse metu aut coactione extortum. Ludant his ineptijs, vt volunt homines indocti, remulenti, præstigiatores, nos veram significationem vocabulorum & verba Christi & Apostolorum in sententia naua retineamus. NON vtor his verbis, Bona opera sunt necessaria ad salutem, quia hac additione, ad salutem, intelligitur meritorium. Sed hanc propositionem affirmo veram esse, & contra Antinomos constanter retinendam esse: Noua obædientia incoationem necessariam esse, quia hic ordo diuinus & immutabilis est, vt creatura rationalis Deo obædiat. Et loquor de obædientia sequente conuersionem seu regenerationem. Ibi & propter causam & effectus consentum, necessaria est incoatio obædientia, iuxta dictum: Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei, id est, tales motus accendit Spiritus sanctus, qualis est ipse, & datur, vt renouetur in nobis imago Dei. Ideo & vanitatem sophismatis illius de sequenti obædientia reijcio, quod dicit, Sola excludit non dignitatem tantum, sed præsentiam obædientia. An in Elia, Baptista, Paulo, volunt non esse præsentiam obædientia? Sed omitto longiorem disputationem, & hortor pios, vt sophismatum præstigias fugiant, & oro filium Dei, vt nos gubernet. EXPRESSA autem Papistas damno, qui dicunt, se bonis operibus mereri vitam æternam, contra dictum Pauli: Donum Dei est vita æterna. Et affirmo, immensa misericordia Dei, propter filium mediatorem, gratis sola fide, accipi remissionem peccatorum, imputationem iusticia, viuificationem per Spiritum Sanctum, & hæreditatem vitæ æternæ.

DAMNO & Antinomos, qui vociferantur, nouam obædientiam non esse necessariam nec debitum, & tollunt discrimen peccati regnantis, & non regnantis, contra regulam: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

A R.

ARTICVLVS XXV.

AN CREDANT SANCTOS, QVI IN COELO
viuunt, honorandos esse & inuocandos, & ab eis auxilium &
intercessionem petendam esse?

RESPONDEO primum de inuocatione, postea de honore.
Affirmo omnes inuocationes, quæ sunt ad res quæ non cernuntur,
quæ non sunt Deus, esse impias & damnatas. Hæc asseueratio con-
firmatur illo dicto: Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli ser-
uies. Confirmatur etiam hoc argumento: Inuocatio tribuit omnipo-
tentiam illi quod inuocatur, quia oportet inuocatum absentem vi-
dere motus cordis. Solus Deus est scrutator cordium. Igitur solus
Deus inuocandus est.

ITAQUE de inuocatione hominum
mortuorum, etiam si uiuunt in celo, sentiendum est idem, quod de
inuocatione statuarum, de qua dicitur: Fugite idola, quia sancti ho-
mines non sunt scrutatores cordium. Nec dubium est, hanc tetram
consuetudinem inuocandi homines mortuos ab Ethnicis exemplis
ortam esse, quæ multipliciter abducit homines à Deo, & à vera inuo-
catione. Sæpe dixit Lutherus: Cum multæ sint causæ, propter quas
execranda est inuocatio hominum mortuorum, hanc inter ceteras
sæpe cogitandam esse, quod ea consuetudine obscuratum sit testi-
monium de diuinitate Christi. Propheta affirmant Mesiam inuo-
candum esse, ergo testantur esse omnipotentem, sicut & Iacob inuo-
cat Christum: Benedicat Deus, &c. Angelus qui liberauit me ab om-
nibus malis. Id argumentum obruitur tetra consuetudine inuocan-
di homines mortuos.

CONSIDERETVR autem impu-
dentia scriptorum Bauarici articuli. Iubent peti non solum inter-
cessionem, sed etiam auxilium, Alij uerecundiores, qui defendunt
illas inuocationes, tantum iubent petere intercessionem. Illi iubent
etiam petere auxilium, ut confirmet multa ingentia scelera. Vo-
lunt hominibus tribui opera propria omnipotentis Dei, quod libe-
rent à morte, à morbis, à potestate Diaboli, quod dent diuitias & fe-
lices euentus in omnibus negotijs. His petitionibus auxilij omnibus
opponantur perspicua testimonia, quæ præcipiunt à solo Deo pete-
re auxilium, fiducia mediatoris Christi, iuxta dictum: Quicquid pe-
tieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Olex 13. Ego Dominus
Deus tuus, qui eduxi te ex terra Aegypti, Deum præter me nescias,
& saluator non est præter me. Item O mors, ero mors tua, o infer-
ne, ero pestis tua. Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam
te, & honorificabis me. Iesa. 43. Ego ego Dominus, & non est præter
me saluator. Et filius dicit: Ego vitam æternam do eis. Item de benefi-

ficijs corporalibus, Deut. 20. Ipse est vita tua, & longitudo dierum. Item: Nisi Dominus edificauerit domum, &c. Olee 2. Benedicuit, quod ego frumentum ei dederim, ideo rursus auferam frumentum meum. Prouerb. 10. Benedictio domini diuites facit. **H**is & similibus testimonijs confirmati, sciamus bona aeterna & corporalia Dei beneficia esse, & contumelia Deum affici, cum creaturis tribuitur omnipotentia. Alij minus impudenter non auxilium, sed intercessionem petendam esse ab hominibus, qui viuunt in Ecclesia caelesti, dicunt. Sed sciamus ab aeterno Patre unicum intercessorem in arcano consilio diuinitatis constitutum esse, scilicet, Dominum nostrum Iesum Christum. 1. Timoth. 2. Vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Item: Quicquid petieritis in nomine meo, dabit uobis. Roman. 8. Qui & interpellat pro nobis. Et Ebrzos 7. Semper viuens ut interpellat pro eis.

SCIENTIUM est autem, haec duo in officio mediatoris contineri: & intercessionem & applicationem meritorum ipsius, propter qua petit nos recipi, & gemitus nostros audiri. Discernit igitur vera Ecclesia suam inuocationem ab omnium gentium inuocatione, quod & verum Deum alloquitur patet factum misso filio & dato Euangelio. Et accedit fiducia mediatoris, qui est Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis & resuscitatus, & interpellans pro nobis, propter cuius merita & interpellationem sciamus certo nos recipi & exaudiri, nec inuocationem nostram inane murmur esse. Ideo vetus Ecclesia in precationibus semper addidit: Per Dominum nostrum Iesum Christum. Et valde prodest, commonefactionis causa habere formam precationis plenius scriptam, qua discernatur inuocatio Christiana ab Ethnicis.

DETESTANDVS est etiam Canisus, qui ut stibiliat inuocationes hominum mortuorum, negat Christum nunc pro nobis interpellare, cum manifeste scriptum sit ad Hebrzos: Semper viuens, ut interpellat pro eis. Et passim extant pia dicta veterum scriptorum in hanc sententiam, ut Cyprianus in precatione ante supplicium pag. 507. inquit: Ego in tuo nomine peto, ut tu a Patre petas, ut detur mihi. Et Euseb. lib. 10. histor. Ecclesi. pag. 111. in graeco codice: Magnus vniuersae Ecclesiae pontifex ipse Iesus, vnigenitus Dei, bene fragrantem odorem, & incruentus & incorporeas hostias precum ab omnibus laeto vultu & supinis manibus accipiens, caelesti Patri & Deo omnium creaturarum, offert, primus ipse adorans, & solus Patri dignum tribuens honorem: deinde omnibus nobis placatum manere & propitium semper precans. Et apud Augustinum dicitur: Stat filius ad deprecandum pro nobis, & sedet ad iudicandum.

INVOCATIO absentium per sese tribuit omnipotentiam illis, qui inuocantur, quia testatur illos cernere motus cordium in omnibus

bus vbiq̄ue terrarum. Ideoque inuocatio est honos, qui tantum Deo tribuendus est, & cum Prophetæ docent inuocandum esse Messiam, testantur Deum ac omnipotentem esse. Deinde petitio auxilij etiam tantum ad Deum facienda est. Quia dare vitam, tollere mortus, dare res nascentes, hæc & similia sunt etiam opera omnipotentis Dei. Tertio, nec honos mediatoris, & intercessoris in vllam personam transferendus est, præter Christum. Quarto, nullus cultus in Ecclesia inuehendus est sine testimonio verbi Dei, iuxta dictum: Frustra colunt me mandatis hominum. Ex his causis manifestissimum est, damnandas esse inuocationes, quæ fiunt ad creaturas. Et cum tales inuocationes sint manifesti cultus idolorum, non solum in ministerio Euangelij damnandæ sunt voce doctrinæ, sed etiam à magistratibus politicis prohibendæ sunt, & statuz ad quas fiunt concursus, aut etiam inuocationes, delendæ sunt, ut in primo præcepto dicitur: Non facias tibi sculptile. Et Deut. 12. Confringite statuas. Hæc præcepta recte intellecta non tantum sunt ceremonialia, sed etiam moralia, quia certissimum est magistratum debere blasphemos & magos punire, & vt delet magica instrumenta, ita etiam falsæ inuocationis instrumenta auferat. Fiant autem hæc ordine per magistratus, non seditiosis tumultibus. CVM autem in inuocatione hominum mortuorum & statuarum, Pontificij manifestos cultus idolorum exerceant, & multa habeant exempla similia turpitudinis Ethnicæ, sciamus & hanc causam necessariam esse, cur ab eis se iuncti simus, uidelicet, ut fugiamus cultus idolorum, sicut sæpe præceptum est 2. Corinth. 6. Nolite distrahi in diuersum iugum cum gentibus. Excogitarunt Pontificij adeo futilia sophismata ad defensionem huius impij quæstus, vt non sit opus longa refutatione. Asingunt interpretationem alienissimam dicto in Genesi. cap. 48. Legit noster interpres, Inuocetur super eos nomen meum, & nomina patrum meorum Abraham & Isaac. Ibi nequaquam loquitur Iacob de precatone facienda ad sese, & ad Abraham, & ad Isaac, sed de nominandis his nepotibus nomine patrum, quæ nominatio testatur eos esse hæredes promissionum, quæ patribus factæ sunt. Hæc est natia sententia, ut omnes norunt, quibus linguæ Hebrææ phrasim nota est. Nec vero tantum abijciamus impiam consuetudinem inuocandi homines mortuos, sed etiam discamus, & serio exerceamus veram inuocationem, quæ sit ad verum Deum patefactum in Ecclesia misso filio & dato Euangelio. Et fiat inuocatio mentione & fiducia filij, & in ipsa precatone cogitatio nostra seiungat veram inuocationem ab Ethnica, Turcica, & omnium impiorum inuocationibus. Recte cogitemus de essentia & voluntate Dei, & recordemur capita doctrinæ, quæ de vera inuocatione sæpe recitantur, nosque confirmemus

mus cogitatione verbi diuini, & fide accedamus ad Deum, petamus & expectemus necessaria, sicut dulcissime dicitur Ephes. 3. Per hunc audacter accedimus in fiducia per fidem eius. Ebraeos 4. Habentes talem summum sacerdotem accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, & accipiamus misericordiam & gratiam. Talem inuocationem scimus summum cultum & proprium esse Ecclesiæ Dei. Denique & præcepta & promissiones sæpe recordemur, vt, Petite, & accipietis. Oportet semper orare, & non defatigari. Et in Siracide: Non sis pusillanimis in precatione tua, id est, multa & magna petito, nec indignitate tua, nec dubitatione deterrearis à petendo.

A L T E R A . P A R S Bavarici articuli insidiosè interrogat de honore sanctorum. Ipsi enim honorem intelligunt inuocationem, cum longe aliud sit honos, qui sanctis tribuendus est, videlicet, meritio ipsorum in Ecclesia propter sex causas, quarum prima est: Vt perpetua historia Ecclesiæ aspiciatur. Secunda, vt testimonia doctrina, de ministerio docendi & de Ecclesia considerentur. Sunt enim edita miracula, factæ mirandæ vocationes, illustrata doctrina propter vniuersam Ecclesiam. Tertia, vt Deus celebretur, & gratiæ agantur, quod se patefecit, tradidit doctrinam, ostendit presentiam suam in Ecclesia.

Quarta, vt exempla confirmemus fidem nostram, cum scimus ipsos exauditos & adiutos esse, vt in Psal. 33. dicitur: Ille pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudivit eum. Igitur accedite.

Quinta, vt pro vocatione singulorum exempla imitemur. Sexta, vt ipsi etiam laudentur, quod donis **D E I** bene vsi sunt.

N E C E S S E est enim nosse vniuersam historiam Ecclesiæ, quantum sciri potest, & conferre consensum expressum in scriptis Prophetis, Apostolicis, Symbolis & scriptoribus vetustis ac purioribus, & discernere verum genus doctrinæ proprium Ecclesiæ ab omnium temporum mendacijs & imposturis. Et cum cernis, quæ sit vera Ecclesia, Deo gratiæ agantur, quod se clementer patefecit, & semper æternum aliquem cœtum colligit, in qua consideratione læteris, sciens esse aliquam veram Ecclesiam, iuxta articulum Symboli: Credo esse Ecclesiam catholicam, & amplectentem idem doctrinæ genus membrum esse veræ Ecclesiæ, accipi & exaudiri à Deo, & esse hæredem mirandæ societatis & lætitiæ consuetudinis cum Deo & cœlesti Ecclesia. Imiteris etiam certamina, inuocationem & alias virtutes sanctorum, qui ornati sunt testimonijs diuinis, vt si de Davide dicas, ordine eas per singulos articulos Symboli: & consideres, quæ tradiderit testimonia illustrata de filio Dei, & adiungas vetustiora & sequentia in vera Ecclesia sententias. Postea aspice testimonia, quæ Deus Davidi tribuit in singularibus victorijs, quæ ostendunt huius viri doctrinæ credendum esse.

esse. Occurret in eius historia & doctrina de recipiendis lapsis. Ita adiungas similia exempla, conuersionem Aaronis, Manasse, Petri & aliorum, & accommodes ad dicta Euangelij, quæ affirmant recipi lapsos, vt Dominus inquit: Septuagies septies remitte. Sunt enim exempla ad regulas accommodanda. Hac integra consideratione fidem confirmes, nec de vno homine dici vtiliter potest, nisi & symbola & ornamentum temporum Ecclesiam intuearis.

Hæc commemoratio vtilis est, & gloriam Dei illustrat, deinde ornat ipsos quoque, qui sunt domicilia Dei, & testes de eo, & sunt ornati ingentibus virtutibus, quæ etiam sunt testimonia de Deo, & de præsentia Dei in Ecclesia.

ARTICVLVS XXVI.

AN CREDANT ANIMAS HOMINVM qui decesserunt antequam satisfactionem integram præstiterunt, & antequam integre purgati fuerunt, cruciari in igne purgatorio, & an eis opulentur preces, eleemosynæ & oblationes, quæ pro eis in Ecclesia fiunt?

In hoc articulo impudenter ostendunt inquisitores illi, se curialis & veteri suo patrocinari. Defendunt purgatorium, ne lucra, quæ habent ex inferijs funebribus amittant, & multo verius pro foecis dimicant, quam pro aris.

Videtur archetypum orationis, quam Græci legati exhibuerunt Cardinali Cusano in Synodo Basiliensi de purgatorio, in qua narrant veteres suos scriptores nullam facere mentionem purgatorij, & Chrysostomi interpretationem recitant de dicto Pauli ad Corinth. vbi inquit: Ipse autem saluus erit sic quasi per ignem, id est, in tentationibus euanescent opiniones, quæ sine verbo Dei receptæ fuerant, & quasi incendio tentationum conflagrabit. Tunc enim necesse est quæri veras consolationes in verbo Dei. August. in Enchiridio ita loquitur, vt dubitationem suam significet: Incredibile non est esse ignem purgatorium, & quæri potest, & latere nonnullos, &c.

POSTEA Gregorij spectris confirmata est opinio non solum purgatorij, sed etiam liberandarum animarum per sacrificia. His spectris opponendum est mandatum Deut. 10. Non quæras veritatem à mortuis, omnia enim hæc abominatur Dominus. Mouit etiam multos narratio in 2. Maccabæorum cap. 12, vbi dicitur: Duo millia drachmarum missa esse Hierosolymam, ut pro mortuis sacrificia ferent, & grata sicut sacrificiis mentio drachmarum. Etsi liber 2. Maccabæorum apocryphus est, ideoque hoc testimonium aliqui rejiciunt, tamen fieri potest, ut acciderint

ciderint illa apud Iudæos, quia apud ipsos quoque multæ superstitiones & magni abusus sacrificiorum fuerunt. Certissimum est autem, sacrificia Iudaica neque uiuentibus neque mortuis potuisse mereri remissionem culpæ neque pœnæ post mortem, sed fuisse exercitia uiuentium. Teneatur autem uera doctrina tradita in Prophetiis & Apostolicis scriptis, quæ duas tantum uias mortuis proponit. Affirmat conuersos ad Deum & credentes, certo esse hæredes æternæ salutis, & non conuersos ad Deum affirmat certo in æternas pœnas abijci. Hæc expressissimè docentur in concione Christi Matt. 27. nec proponitur media uia post mortem. Sic enim dicitur ad Heb. 9. Omnibus hominibus constitutum est semel mori, deinde iudicium. Et contra opinionem de uia media, consolantur conuersos & credentes hæc dulcissima dicta Ioan. 3. Qui credit non iudicatur. Ioan. 5. Amen amen dico uobis, qui uerbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non uenit, sed transit a morte in uitam. Roman. 7. Iustificati fide, pacem habemus apud Deum. Iam si essent pœnæ animarum credentium, quæ exuerunt corpora, esset horribilis sensus iræ Dei. Rom. 8. Si Christus in uobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus uero uiuit propter iusticiam. Mortuo igitur corpore non restat peccatum in Spiritu credente, qui est templum Dei, & huc congruit dictum: Hodie mecum eris in paradiso. Apoca. 14. Beati mortui qui in Domino mortui sunt a modo. Certe, dicit Spiritus. Apo. 2. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ. Possunt & multa talia dicta addi, quale est hoc Salomonis Prou. 14. Malicia sua eueretur impius, & habet fiduciam iustus in morte sua. Non igitur est in eo sensus iræ Dei in morte, & fuga, quæ esset, si restarent pœnæ purgatorij. Præcidantur autem curiosæ quæstiones de loco animarum his dictis: Domine Iesu suscipe spiritum meum. Item: Hodie mecum eris in paradiso. Item: Iustorum animæ in manu Dei sunt. Hæc breuiter de quæstione, An sint pœnæ purgatorij, dixi, & uolo expendi testimonia citata, quia consolationes dulcissimas continent. Deinde impudentia inquisitionum consideretur. Vanissima fabula est, quæ extruit purgatorium ex satisfactionibus. Fuerunt in Ecclesia olim spectacula, quibus recipiebantur lapsi, stabant aliquot diebus extra locum cœnæ Domini, ut conspicerentur, ut alij commones facti firmiores essent. Hæc spectacula nominabantur *corvæ* & satisfactiones, & erant ritus ab hominibus exempli causa instituti, nihil pertinentes ad remissionem culpæ & pœnæ æternæ aut ullarum pœnarum, quibus Deus peccata hominum punit. Consuetudo autem sumpta fuit à uetustis patribus, cuius umbram & Ethnici retinuerunt, qui uolebant homicidas genere signa reatus, ut gerit Orestes, item Adrastus, ut scirent homines ut

tandum esse eorum conuictum. Hos antiquos mores cum ignorarent monachi, sinxerunt ritus illos esse merita coram Deo, & longa reia est mendaciorum. Dicunt culpam ita remitti, vt pœna æterna mutetur in penam purgatorij. Postea dicunt pœnas purgatorij compensari talibus ritibus, quos nominant satisfactiones, & has redimi postea sicut pecunia, emittis, ut nominant, indulgentijs.

HÆC deliramenta breuiter recito, quia plerisque iunioribus ignota sunt, quos tamen prodest commonefieri, ut cogitent, qualibus præstigijs doctrina Ecclesiæ corrupta fuerit. Ac ut quæstus esset maior ex sacrificijs funebribus, dixerunt oblationem missarum longe preciosiorem esse omnibus satisfactionibus. De hac tota fabula breuis & firma responsio est: Satisfactiones quas nominant canonicas, quæ sunt opera indebita, nec necessaria sunt, nec merentur remissionem culpæ nec pœnæ æternæ, nec vllarum pœnarum temporalium in hac vita, aut post hanc vitam, nec sunt cultus Dei, nec placent Deo, iuxta dictum: Frustra colunt me mandatis hominum, &c.

M A N I F E S T V M est igitur, falso ex satisfactionibus extrui purgatorium, sed firmis in se retinenda est vox Euangelij, quæ affirmat propter solius filij Dei obœdientiam gratis, simul remitti & culpam & pœnam æternam, nec pro culpa & pro pœna æterna est alia compensatio, nisi obœdientia filij Dei, iuxta hæc dicta: O mors, ero mors tua, & eris pestis tua inferne. Item: Sanguis Christi purificat nos ab omnibus peccatis. Ad Hebræos 2. Vt per mortem aboleret eum, qui tenet potentiam mortis, videlicet Diabolum, & liberaret hos, qui metu mortis in tota vita rei erant seruitutis. Zach. 5. Tu in sanguine testamenti tui emittis vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. His & similibus testimonijs perspicue refutantur deliramenta de Pontificijs satisfactionibus.

P A V C A etiam de oblatione dicam. Firmissima regula est: Nihil habere rationem Sacramenti extra vsum à filio Dei institutum, quia instituire Sacramenta, quæ sint testimonia gratiæ, id solius diuinæ autoritatis est, quæ promissionem gratiæ tradit. Manifestum est autem cœnam Domini institutam esse, vt sit sumtio viuentium, vt ibi fidem exerceant, qua credant se accipere beneficia Christi, & esse membra eius. Nihil autem ad mortuos pertinet sumtio, quod manifestum est, nec instituta est oblatio. Cum igitur oblatio pro mortuis opus sit toto genere diuersum ab institutione, sic horrendus idoli cultus, qua de re pij diligenter cogitent, & purior antiquitatem intueantur, quæ certe non docet oblationem corporis aut sumptionem fieri pro mortuis, seu mereri eis remissionem vllius pœnæ. Postea vero irrepsit mentio precatationis pro mortuis, sicut paulatim in Ecclesiâ sparsa sunt errorum semina, quia etiam sancti extruunt stipulas supra fundamentum. Deinde magis accessit

fit cumulus & horribilia idola in Ecclesiam collarata sunt, non solum insecritia & superstitione, sed dulcedine quæritus, sicut apud Daniëlem dicitur: Colent Deum Maozim auro & argento. Nec addo longiorem disputationem, sed affirmitas illas oblationes pro mortuis, quas vendunt Pontificij, esse idolorum cultus. Tenenda est autem regula: Fugite idola. Quare sciamus & hanc causam iustam esse cur nos sejungamus ab illis idolorum defensoribus.

ARTICVLVS XXVII.

AN CONIUGIVM OMNIBVS HOMINIBVS sine discrimine concessum sit?

RESPONDEO. Necessè est omnes pios considerare, quæ sit vera Ecclesia Dei, quia in Symbolo dicimus: Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam. CVM autem lex Dei aliquo modo natura nota sit, demonstratio inde sumi potest, qui cæcus non sint Ecclesia Dei. QVICVNQVE doctrinam contrariam vili præcepto morali defendunt, hos non esse Ecclesiam Dei certum est.

DEFENDVNT autem Pontificij contrarias primo præcepto inuocationes mortuorum & idolorum: defendunt item contrarias doctrinas præcepto, Non mœchaberis, prohibent coniugium magis parti hominum, Presbyteris, Monachis, & puellis inclusis in Monasteria, & causam præbent tetræ confusionibus libidinum.

OPPONATVR ergo prohibitionibus Pontificijs regula: Operetur Deo magis obedire quam hominibus. Dicit autem Paulus: Vitandæ scortationis causa, vnusquisq; habeat uxorem suam, Hoc præceptum nec Pontificijs legibus nec votis Monasticis tolli potest.

HIC simul consideretur, tristia peccata esse omnes contaminationes à Deo prohibitas, & Deum valde irasci omnibus, qui præcepta diuina de vagis commisionibus violant. Ac iræ magnitudo primum ex voce diuina discatur. Loquitur Paulus de æternis poenis 1. Cor. 6. Ne erretis, Scortatores, adulteri, homicidæ, &c. non possidebunt regnum Dei. Gal. 5. Talia facientes regnum Dei non possidebunt. Ephes. 5. Omnis scortator aut obscænus non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Dicitur Leuitici comprehendit poenas corporales & æternas: Omnis anima quæ fecerit has abominabiles, peribit de populo suo, caute ne vos talia facientes, terra euomat, sicut euomit Cananæos. De vtroq; genere poenarum loquitur dicitur ad Hebræos: Scortatores & adulteros puniet Deus. DEISTI poenarum exempla aspiciantur. Conflagratio Sodomorum, de qua narratio in Genesi ostendit ipsum filium Dei fuisse executores poenarum, Deinde clades Benjamin orta à rapta Leuitæ coniuge, Exilium Dauid.

Dauidis. Ideo autem pauca exempla in scriptis Prophetici: recitantur, vt sciamus Deum similiter alijs pollutis irasci, & eorum calamitates, pœnas esse, quibus Deus iram suam declarat. Vt quod Oedipus hiatu terræ absorptus est. Iocasta mater inter duos filios interfectos iacens, sibi ipsa mortem consciscit. Vagantur enim pœnæ per filios, iuxta dictum: Peccata in semine puniuntur in semine, Per quæ quis peccat, per eadem punitur. Dauidis filij inter sese dimicant, & filius seditionem mouet aduersus patrem. Saepe libidines fuerunt *exaggeratae* causæ ad delendas totas gentes, & ad magnas imperiorum mutationes, vt Paridis adulterium, scelus Sexti Traquinij, clades Leuctrica secuta est supra filiarum Scedasi, quas spartani nobiles compressas dissecuerunt, postea cadauera in puteum abiecerunt.

FRANCIS tempore Honorij vrbs Treuirorum dedita est, quia Lucius præses coniugem Senatoris rapuerat. Imperator Valentinianus III. propter adulterium interfectus est. Ac postea attractus est Gensericus in Italiam. Deniq; nulla ætas non habet exempla. Discamus igitur diuinas prohibitiones, & iudicium DEI metuamus. Nec vero tantum pœnas corporum in nobisipsis, & in filijs & filiabus morbos & neces timeamus: sed etiam illam horribilem pœnam vitemus, de qua Paulus concionatur, Roman. 1. & Ephes. 4. videlicet, cœcitate[m] & stuporem, de quo dicit ad Ephesios, qui cum dedoluerint, tradunt se impudicitia. Hæ sunt multo tristiores pœnæ quam corporum cruciatus aut trucidationes. Et quidem hi furores attrahunt corporum exitia ut in Thyelle, Phoca, & plurimis alijs apparet. E regione uero consideremus, quam grata sit Deo virtus, castitas, cuius hæc est definitio: Castitas est virtus à Deo præcepta, quæ vitat omnes prohibitas commissiones, & prohibitas feminis effusiones. Nec tantum est in his, qui sine immundicia cœlibes sunt, sed etiam in his, qui cum sint coniuges, leges coniugij non violant, quas Deus singulari sapientia ordinauit in dicto: Erunt duo in carnem unam, id est, unus mas & una fœmina legitime & inseparabiliter iuncti. Ibi expresso verbo sciamus legem, Non mœchaberis, in paradiso sancitam esse. Eo autem de castitate diligentius cogitemus, quia perspicue discernit Deum ab omnibus immundis naturis, à Diabolis & hominibus. Etsi enim omnium virtutum noticiæ præcipue ob hanc causam traditæ sunt, vt cogitemus qualis sit Deus, & eum discernamus à malis naturis: tamèn castitas præcipue illustre discrimen facit. Cumque non amplectamur Deum brachijs, sed cogitare in inuocatione debeamus quid alloquamur, necesse est proprietates Dei mente colligere, & statuere nos alloqui creatorem, qui se patefecit misso filio, sapientem, bonum, veracem, castum, omnipotentem, liberum, iustum & iudicem, misericordem

& exatt-

& exaudientem nos propter Filium. His proprietatibus discernimus eum ab omnibus creaturis. Intelligenda est igitur doctrina de castitate, & amanda hæc ipsa virtus, quam quidem Deus ingentibus præmijs ornat, vt ostendit historia Ioseph. C V M igitur manifestum sit, seuerissime præcipi Castitatem, & mandatum sit, vt uiuant in coniugijs castis omnes qui extra coniugium se contaminant,

dereitanda est lex Pontificia, quæ magnæ parti hominum coniuga prohibet, quia nulla est autoritas legis pugnantis cum mandato diuino. Nec vota sint vincula, quæ cogant homines peccare, & horribilem iram Dei iritent. Ac præterquam quod vota Monastica sunt de re impossibili plerisque, etiam aliæ multæ falsæ opiniones illis votis implicitæ sunt. Firmissima est igitur responsio de loco Pauli ad Timoth. vnde quidam ratiocinantur viduas fuisse obligatas votis. Etiam si in prima Ecclesia Pauli tempore vota fuissent tamen exemplum prorsus nihil ad vota Monastica pertineret, quæ obligant ad manifestum cultum idolorum. Retinent enim Monachi impias venditiones Missarum, adorationes panis, inuocationes mortuorum, adorationes statuarum, & multas falsas opiniones. Fingunt hæc vota & ritus non mandatos à Deo esse cultus Dei, & quædam mereri remissionem peccatorum, & esse perfectionem. Cum igitur obligatio fiat ad manifestos cultus idolorum, perspicuum est hæc obligationes irritas esse, quia omnibus votis & legibus anteponebatur est immutabile mandatum Dei, Fugite idola. Hanc perspicuam & firmissimam responsionem, hi qui discedunt ex illis idolorum contagijs opponant omnibus præstigijs, quibus aliqui reuertuntur opinioni Monachorum: Vt necesse fuit Ethnicis conuersos ad agnitionem veri Dei discedere à sodalitijs Saliorum Martis, aut sacerdotijs aliorum idolorum: Ita necesse est eos, qui intelligunt detendi idola in Monasterijs discedere ex illis sodalitijs. Nunc & de loco Pauli respondeo.

E T I A M si tunc fuissent vota, tamen nulla fuisset obligatio ad impios cultus. Nec tamen intelligo primam fidem apud Paulum de celibatu, sed de prima fide, quæ amplectitur vocem Euangelij, & veri Dei inuocationem accendit, & qua S P I R I T U S S A N C T U M accipimus, & hæredes æternæ vitæ efficiuntur. Hanc fidem excusso Spiritu sancto amittunt ruentes in delicta contra conscientiam, vt expresse Paulus inquit: Scortatores, adulteri, &c. non possidebunt regnum Dei. 1. Thessal. 4. Hæc est voluntas Dei sanctificationis vestri, abstinere à scortatione. Accusat autem Paulus illas mulieres non leuibus verbis: Pruriens viua mortua est. Nam vocabulum *πρωμαρτωλα* proprie significat prurientem, quod plus est quam appetere delicias ciborum, sed est habere incendia libidinis, *πρωμαρτωλα* autem significat, *πρωμαρτωλα*, *πρωμαρτωλα*, vellicare cutem, seu rutilare

κατάλη pruritus seu titillatio cutis. Deinde *καταστροφή*, significat turgere seu distendi, faginatum & tumefactum esse contra Christum. His insignibus verbis multi turpes motus pugnantes cum Castitate significantur. Hac salacitate dicit ueram fidem expulso Spiritu sancto extingui. Hæc est natia significatio uerborum Pauli.

OSTENDUNT autem historiæ cito in Ecclesiam irrepsisse uota & vincula cœlibatus, & multos fanaticos homines profus damnaſſe coniugia, alios probaſſe tetras confuſiones libidinum, quorum exemplorum graſſari Diabolum, & nos contra eorum furores cura diſcendi uoluntatem Dei, & aſidua precatatione muniamus. Non exiſtimemus hanc uſtimam & deliram mundi ſeneſtam minus habituram eſſe periculorum, quam habuit illa ætas Apoſtoliſ proxima. Quo propius uident diaboli accedere iudicium, in quo toti Eccleſiæ oſtendatur illorum turpitudine, eo rabioſus ſæuiunt, & natura hominum fit languidior, magis fatua, ſecura & incauta, ut oſtendunt deliria opinionum, & ruinæ Imperiorum, helluaciones, & multa fatua exempla in moribus. Sint igitur pij magis uigilantes, & ſæpe repetant hanc Pſalmi uocem: Non deſiciat uirtus mea in ſeneſta. Hæc admonitio de ultima ætate mundi ſæpe diuinitus repetita eſt. Deberent igitur gubernatores tollere iniuſta uincula, quæ ſunt cauſæ magnorum ſcelerum, quæ horribiliter oſtendunt Deum. Hæc ipſa lex cœlibatus & Monachica uita quanta agmina animarum auellunt à Deo, & in æterna ſupplicia præcipitant?

HÆC mala cum nota ſint, non utar longa commemoratione, tantum adijciam narrationem, quæ extat apud Clementem Alexandrinum, qui nominat fanaticos Tatianum, Caſium & alios, qui coniugia profuſ prohibuerunt. Hos ait recitaſſe colloquium Salomes & Chriſti, quod ſcribit extare in Euangelio Aegyptiorum. Interrogat Salome Chriſtum, quando fit uenturum regnum DEI? Reſpondet Chriſtus, Cum ceſſabit opus mulieris. Inde ratiocinati ſunt homines fanatici, Cum generatio fit opus mulieris, tempore prædicationis Euangelij, quæ fit regnum Dei, ceſſare generationem & coniugium. Talis eſt ſophiſtica fanaticorum omnibus temporibus. Opus mulieris proprium, uidelicet opus Eux, eſt initium peccati & mortis in genere humano. Generatio non eſt opus proprium Eux, ſed mirandum opus Dei, quod in natura hominum & condidit Deus, & in hac uita ſeruat uſq; ad reſurrectionem. Ceſſant autem in prædicatione Euangelij peccatum & mors æterna in ijs, qui fide accipiunt remiſſionem, & ſiunt hæredes uitæ æternæ, iuxta dictum Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Interea uſq; ad reſurrectionem manet hæc natura

K k corpo-

corporum talis, vt Dominus inquit, Mat. 24. Erit sicut in diebus Nohe, comedent, bibent, ducent vxores & nubent, 1. Cor. 7. Vitandæ fornicationis causa vnusquisque suam vxorem habeat. Item: Si docis vxorem, non peccas. Hęc dicta perspicue refutant fanaticos illos, qui colloquium illud Salomes & Christi falso interpretati sunt.

Est & alia Responso. Veniente regno Dei post resurrectionem, cessaturam esse generationem, Tunc quoque prorsus cessant peccatum & mors. **N**ec vero in causa manifesta opus est longa disputatione. Cogitent pij seuerissimum Dei mandatum, quod castitatem præcipit, & intueantur horrendam iram Dei aduersus contaminationes, quæ etiam in hac vita non solum corporalibus malis puniuntur, vt in Dauide, sed etiam furoribus, vt in Nerone & innumerabilibus alijs. Est autè & inter summas pœnas hæc, quod inuocatio quæ fit ab ijs, qui perseuerant in delictis contra conscientiam, non exauditur, iuxta dictum: Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Item: Iusticia iusti non liberabit eum quacunque die peccauerit, scilicet, contra conscientiam, vel amittens fundamentum. Impietas impij non nocebit ei quacunque die conuersus fuerit. **H**æc dicta sint in conspectu contra Antinomos, & Cyclopicam & Pontificiam profanitatem.

Quid tristius est, quam non posse inuocare Deum, non posse auxilium Dei petere, fremere aduersus eum, vt contra hostem? Deseruntur etiam à castis Angelis, qui perseuerant in sceleribus contra conscientiam. Rursus, Quod præsidium maius est, quam semper posse ad Deum confugere, scire te semper dextra Dei protegi, & te castorum Angelorum excubijs circumdatum esse? iuxta dictum: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Et quidem in coniugio pio, quod vere est Ecclesia **D**EI, fortior est inuocatio coniugum. Crescunt enim dolores, intentio, fides, cum coniunx coniugis dolorem, intentionem & fidem intueatur. **H**æc sæpe cogitanda sunt, vt cura tuendæ castitatis confirmetur. **V**iuant igitur in legitimo & casto coniugio omnes, qui non sunt idonei ad cœlibatum, & mandatum Dei immutabile anteponanant legibus Pontificijs & votis, iuxta dictum: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. **C**um autem tota doctrina de coniugio in Ecclesijs nostris recte proponatur, iuxta doctrinam à filio Dei & Apostolis traditam, læti Deo gratias agamus, quod eius doctrinæ deprauatio semper testatur, eum cœtum qui corruptelam profretur & defendit, non esse Ecclesiam Dei, sicut Ethnici & multi Heretici, qui corruptelas professi sunt, non fuerunt membra Ecclesiæ Dei. **S**ciamus etiam nos iustissimam causam hæc quoque seiunctionis à Pontificijs habere, quia nemo debet prohibe-

re coniugium ijs, qui non sunt idonei ad cœlibatum. Nemo etiam debet socius esse eius prohibitionis, & quidem societas prohibitionis, cum per sese est peccatum, tum vero etiam est societas parricidiorum, quibus illa prohibitio defenditur. Sunt autem hæc proprijsimè Diabolorum furæ, impulsiones ad idola, ad mendacia, ad confusiones libidinum, & ad iniusta homicidia. Hæc concurrunt omnia in defensione Pontificij cœlibatus, quæ verè est societas cum Diabolo. Quare Deo gratias agant, qui ab ea societate alieni sunt, nec frangamur animis cum dicimur autores schismatis, sicut Esaias nos confortatur, Nolite timere probra hominum. Item: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Etiam Ethnicus Poëta Euripides in Heraclidis inquit: *ὃ θεὸς τὸ δὲ ἀπειθεῖ, τιμῶν θεῶν, ὅτι μὴ φοβῶμαι, ἐγγύς μου εἶμι Ἰλαῶν.* Non igitur prohibeantur hi veri cultus, quos Deus seuerissime præcipit. Legitimum coniugium, vera Dei inuocatio, & exercitia timoris Dei, fidei, inuocationis, dilectionis plurima in cōiugio, sicut Paulus inquit: Saluatur mulier per generationem filiorum, si manserit in fide, dilectione, castitate & modestia, quibus verbis omnes virtutes sanctæ matris complexus est.

RELIQVÆ SVNT INTERROGATIONES DE STATVIS ET OSSIBVS SANCTORVM,
& de consecratione Salis & alijs. De quibus breuis sit responsio.

OMNIA hæc impia sunt, & cultus idolorum, alloqui ipsas statuas aut ossa, aut fingere Deum aut sanctos magis in vno loco seu ad hanc statuam alligatos esse, quam ad alia loca: Nihil differunt inuocationes, quæ fiunt ad Mariam Aquensem, seu Ratisbonensem ab inuocationibus Ethnicis, quæ fiebant ad Dianam Ephesiam, aut ad Iunonem Plataensem, aut ad alias statuas. Quod vero miracula narrantur, sciendū est, etiamsi qua miracula facta sunt, esse præstigias Diabolorum, quia nullum miraculum recipiendum est contra hanc æternam legem, Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruias. Deus vult esse efficax cum Sacramentis, quæ ipse instituit, & eo modo ibi est efficax, quem instituit non aliter. Vt non fingendum est, Baptismo ablui lepram, non fingendum est, per cœnam Domini dari felicem negotiationem, sed Deus eas res dat, quas promissit de vsu, quem instituit. Ceterum exceptis Sacramentis vt instituta sunt, alligare Deum ad vllam rem, quod sit ibi magis efficax quam alibi, est fabricare idolum, & pugnat hæc imaginatio cum his dictis, Esa. 66. Cœlum sedes mea, & pugnat hæc imaginatio cum his dictis, Esa. 66. Cœlum sedes mea, terra scabellum pedum meorum, id est, Deus vbique adest. Quæ est ista domus quam edificatis? Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu, & trementem sermones meos? Id est, Quocunque

K k 2 loco

loco inuocat Deum is, qui verbo Dei regitur, hunc ibi vere exaudit Deus. Et 1. Timoth. 2. Volo orare uiros in omni loco, leuantes sanctas manus, sine ira & sine hæsitacione, id est, Non frementes aduersus Deum, non dubitantes an sit prouidentia, an Deus curet homines, an te exaudiat. Et Iohan. 4. Prohibetur alligatio ad certum locum cum dicitur: Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & ueritate, id est, uere agnitiua iuxta uerbum eius, non fingendo aliquid esse Deum, quod non est Deus, sicut Mahometistæ, etsi dicunt se inuocare creatorem cæli & terræ, tamen fingunt aliquid esse creatorem & Deum, quod neq; Deus neq; creator est: negant enim creatorem esse Patrem Domini nostri Iesu Christi, nec inuocant fiducia filij. Nec Papistæ inuocant fiducia filij, sed aut fiducia propriorum merituum conantur ad Deum accedere, aut merguntur in dubitationem perpetuam. Est igitur inuocare in ueritate, inuocare Deum uere agnitiua iuxta uerbum ipsius. Spiritu inuocare est habere motus Spiritus sancti in corde, timorem & fidem, ne inuocatio sit simulatio. Deniq; nota sit integra doctrina de uera inuocatione Dei, ex qua lumi potest refutatio perspicua impiarum inuocationum. Certum est etiam ad Magiltratum officium pertinere curam delendi statuas quæ inuocantur, uel ad quas alligatur efficacia Dei aut sanctorum, sicut scriptum est Deut. 12. Dissipate aras eorum, & confringite statuas. In hoc Articulo iursus nobis proponamus quæstionem de Schismate. Vociferantur aduersarij, non faciendam esse schismata, ingens bonum esse concordiam, eamq; anteferendam paruis erratis. Sed his omnibus opponamus uocem primi præcepti, Fugite idola. Item: Si quis aliud Euangélium docet, anathema sit. Quanquam autem terribile nomen est Schismatis, tamen sciamus nos cogi hoc æterno mandato Dei, ne homines mortuos inuocemus, neq; ad statuas confugiamus, hanc terram imaginationem circumferentes, uel Deum uel sanctos magis exaudire ad hanc statuam quam alibi. Hæc non sunt parua errata, sed euerfiones fundamenti, nouos Deos fingere, & idola fabricare. Multæ autem causæ corrumpunt iudicia in hominibus, in quibus non est lux uerbi Dei. Ut enim in morbis furiosi errant, sic multi fascinati à Diabolis non abhorrent à tætris opinionibus & exemplis. Habent applausores Stoici & Manichæi in manifestis mendacijs, quale hoc est, Omnia scelera necessario fiunt. Non reformidabant Ethnicis confusiones libidinum & mactationes filiorum. Talia exempla ostendunt magnam potentiam Diabolorum esse in captiuandis hominum mentibus. Sed ut minus atrociam dicam, consuetudo etiam deprauat iudicia, sicut Aristoteles inquit, *ὡς ἰσθάρμεν οὐτως ἀξιώμεν λέγειν*. Simonideum illud uisatum est, *τὸ δοκεῖν βιάσται τὴν ἀλήθειαν*. Ethnicis Bacchanalia uidebantur esse tolerabiles ludi, sed cum Antiochus ea Ierosolymæ fieri

fieri iussisset, cogitemus quanto in dolore sancti senes & sanctæ matronæ fuerint, cum audirent inuocari Bacchum, vagari promiscue viros & mulieres, & rapi aliquas ad sceleratorum libidines. Ita quod multi non abhorrent à compellatione statuarum & hominum mortuorum, sit aut Diabolico furore, aut praua consuetudine, sed hi, in quibus est lux uerbi Dei, cohorrescunt cum cogitant se ad statuas fecisse inuocationes, & omnia talia spectacula abominantur, & sciunt mandata & doctrinam Dei de inuocatione, ij non metuant crimen schismatis, sed sciunt necessario obtemperandum esse mandato diuino: Fugite idola, etiamsi schismata, discordiæ, supplicia & ruinæ imperiorum sequuntur. Non de parua re certamen est, sed de fundamento, quod retineri necesse est. Multa magna scelera concurrunt in inuocatione hominum mortuorum, statuarum, & panis in circumgestatione, nec dubium est his idolorum adorationibus pœnas in genere humano cumulari. **P R E C E M V R** autem filium Dei ueris gemitibus, ut & idola destruat, & semper **V E R A M E C C L E S I A M** colligat, doceat, iuuat & augeat, propter gloriam Dei, & pœnas mitiget.

D E C O N S E C R A T I O N E .

I M P V D E N T I A est etiam, non inscitia, postulare ut retineantur magicæ consecrationes olei, salis, aquæ, herbarum, Papistis vsitatae, quas tamen ludibrijs Sophismatum tueri multi conantur, videlicet hoc argumento:

Dicenda est precatio ad mensam:

E R G O & in Ecclesia fiant consecrationes, ut apparet ex vetustis Canonibus, multas res in templa allatas esse, & dictas esse preces de illis rebus. Sed & ille ipse ritus in vetustis Canonibus taxatus est. Erat enim imitatio sacrificiorum Ethnicorum, in quibus multa pomorum & liquorum genera offerebantur, ut cum inter primitias Aegyptij offerebant & manducabant ficos, vociferantes, **D V L C I S V E R I T A S**, existimabant se magnum cultum Deo præstare. Erant autem & hi ritus Ethnici *κατα οὐδὲν* patrum, sed superstitione cumulate. Breuiter autem de Argumento respondeo.

Dicendo est ad mensam precatio:

E R G O fiant consecrationes olei, aquæ, in templis, vsitate Pontificijs. **N E G O** consequentiam. Et ratio est, Quia hæc nequaquam sunt similia. Precatio ad mensam agit gratias pro rebus corporalibus, & petit felicem usum corporalem ordinatum à Deo. Consecratio Pontificia transfert res illas ad usum spiritualem contra ordinationem Dei, videlicet, ad deletionem peccatorum, & ad

K k 3 depulsi-

depositiones Diabolorum, ad infusionem gratiæ, & fingunt illas res esse Sacramenta, per quæ Deus sit efficax, sicut per Baptismum ab ipso ordinatum. Notum est autem Sacramenta gratiæ Dei à nulla creatura institui posse. Ac magna circumspectione discrimen tenendum est inter vsus corporales ordinatos, & inter vsus spirituales. Deus arguit verbo suo peccata nostra, & cum in ueris doloribus promissionem audimus, & apud Deum consolationem iuxta promissionem quærimus, certo accipimus à Deo propter filium gratis, sola fide remissionem peccatorum, & imputationem iustitiæ, & Spiritum sanctum, quo agnitio & inuocatio veri Dei, & læticia in corde accenduntur. Addit autem Deus promissioni gratiæ Sacramenta, per quæ vult nos confirmari, & nequaquam vult ab hominibus noua Sacramenta excogitari, nec vult dare iusticiam & vitam æternam vlllo alio modo, nisi propter filium, gratis, sola fide, quæ audita voce Evangelij à Spiritu sancto accenditur. Non igitur fingendum est, sale aut aqua deleri peccata, aut gratiam infundi in oleum. Hæ portentosa superstitiones execrandæ sunt.

V s v s autem corporales aliter ordinati sunt, videlicet ad fines corporales creaturæ certæ conditiæ sunt, quibus vult nos uti, alijs vt sint cibi, alijs vt sint potus, alijs vt sint medicamenta, alijs vt sint instrumenta, &c. sicut Deus mirabili sapientia distinxit. Ad hos ordinatos fines vtendum est creaturis, de quibus Paulus inquit: Sanctificatur cibus per verbum Dei & per precationem.

D V L C I S S I M A sententia est, nec tantum de cibis intelligatur, sed doctrina communis est de vsu omnium rerum corporalium ordinato. Primum enim quarant pij, an & quomodo Deus concesserit vsum cibi, coniugij, magistratus, iudicij & militiæ, & aliorum laborum, iuxta dictum: In præceptis meis ambulate. Non sit vita talis confusio, ut faciant homines quilibet sine discrimine, sed ordinata à Deo facienda sunt. Non licet fratri ducere sororem, non sunt concessæ vagæ libidines, non licet grassari rapinis & cædibus, vt faciunt tyranni, non licet docere quilibet doctrinas, vt magicam aut hæreticam, sed ordinata à Deo facienda & docenda sunt. Discamus igitur ex verbo Dei, quid præceperit aut approbauerit Deus, & sciamus conscientiam regendam esse verbo Dei, vt Zacharias & Elizabeth viuunt in coniugio bona conscientia. Cornelius est melius Romanus bona conscientia, scit imperia à Deo ordinata esse certo modo, & Romanos esse legitimos dominos illius populi. Basilius est scholasticus bona conscientia, scit legi oportere scripta prophetica & Apostolica, iuxta dictum: Attende lectioni, &c. Ita vniuersaliter regatur vita his dictis: In præceptis meis ambulate. Item: Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam. Item: Nolite errare, Scottatores, adu-

adulteri, idololatræ non possidebunt regnum Dei. Sit ergo opus conueniens legi: Præluceat autem fides, vere agnoscens filium Dei, & statuens tibi Deum propitium esse, & te exaudiri propter mediatorem, & accedat inuocatio, quæ primum gratias agat pro vita, victu, defensione & alijs. Deinde petat, vt opus sit felix, vt David agit gratias pro constituta patria, Deinde petit suam dextram regi in acie, quia scit victoriam Dei opus esse. Coniuges petunt se & infirmam sobolem protegi, quia sciunt scriptum esse: Nisi Dominus edificauerit domum, frustra laborant qui edificant eam. Vident Zacharias & Elisabeth vbique vagari in Iudæa perulantissimos milites, (sicut nunc piæ familiæ Vngariæ inter sauisimos Turcos degunt) petunt igitur defensionem à Deo, iuxta dictum: Ego ero murus igneus in circuitu eorum. Item: Circumuallat angelus Domini timentes eum. Sic & Iosaphat petit auxilium. Cum nescimus quid agendum sit, ecce oculi nostri ad te Deus tolluntur. Doctor petat regi mentes docentium & discipulorum, & dari vt labor sit felix. Hac omnia congruunt ad communes regulas vitæ: Commenda Deo vitam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Subditus esto Deo, & ora eum. Iacta in Deum curam tuam, & ipse te sustentabit.

Cum igitur hæc concurrunt in vsu cibi, aut coniugij aut militiæ, aut aliarum rerum corporalium, videlicet congruentia operis cum verbo Dei, fides, gratiarum actio, & petitio auxilij, vsus ille fit sanctus, id est, opus à Deo approbatum seu sanctum, & Deo placens in credente. Vult igitur Deus exerceri cognitionem doctrinæ suæ, fidem & inuocationem, etiam in vsu corporalium rerum, sicut & filius Dei docet nos petere panem quotidianum, sed finis ordinatus intendendus est. Ideo Paulus inquit: Sanctificatur cibus per verbum Dei & per preceationem. Eo autem magis taxanda est Papistica consuetudo in illis consecrationibus, quia delet necessariam doctrinam de distinctione promissionis gratiæ & promissionis bonorum corporalium. Sæpe autem alibi de hac distinctione dixi, quam certe oportet in Ecclesia notissimam esse. Promissio gratiæ offert bona æterna, remissionem peccatorum, reconciliationem, imputationem iustitiæ, donationem Spiritus sancti, & vitæ æternæ gratis propter mediatorem, & semper certa & rata est, quandocumque in conuersione homo amplectitur eam, fide intuens mediatorem. Ideo dicitur nouum Testamentum æternum, & quia bona æterna affert, & quia certo ratum est credenti, etiam cum destituimur omnibus bonis corporalibus, sicut Iob inquit: Etiam si occider me, sperabo in eum. Item: Vtuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Ezechielis 33. Quacumque die conuersus fuerit impius, impietas non nocebit ei. Et Deus inquit: Septuagies septies remitte.

TALIA dicta, quæ proprie loquantur de promissione gratiæ, semper in conspectu sint, & fides, quæ gratis propter filium accipit remissionem, semper præluceat debet petitioni corporalium, & ab his longe discernenda est. Reprehensus est Chrysostomus, quod cum alij Episcopi decretum facturi essent, ut semel tantum post Baptismum lapsus agens poenitentiam reciperetur, ipse contradixit, inquit, *ἡλιπίς μετάνοίας ἀπολήθω*. Id dictum opposuit Nouatianorum errori, quod recte intellectum pijs gratum est. DEINDE vero considerentur promissiones honorum corporalium. Cogitetur ad quem vsus ordinata sint. Sunt autem quinque causæ, propter quas Deus & corporalium bonorum promissiones tradidit. PRIMÆ. Quia Deus vult nos præmunire contra Epicureas opiniones, quæ fingunt bona corporalia, aut sola humana industria parari, aut casu obijci, sicut Seneca inquit: Fortuna cæca manu spargit sua munera. Adversus has tenebras docet nos Deus, non casu, sed vere consilio suo dari & auferri etiam hæc bona, ut dicitur in Proverbijs: Benedictio Domini diuites facit. Item: Ego dedi eis frumentum. Item: Ipse est vita tua, & longitudo dierum tuorum. Item Psal. 31. Leones esurient, rimenti autem Dominum non deerit vllum bonum. Item Proverb. 5. Corrosio à Domino in domo impij. SECUNDA causa est. Vult Deus has promissiones testari, se in hac mortali vita certo tempore etiam seruaturum esse Ecclesiam, quæ non esiet, si Deus non tribueret vitæ spacia, victum, mediocria hospitia, politias & economias. Ideo Dominus inquit: Primum querite regnum Dei, & cætera adijciuntur vobis. Scit Pater vester vos his rebus indigere. Et Iesaja 31. Panis ei datus est, regem in decore suo videbit. Item 30. vbi mentio crucis addita est: Dabit vobis Dominus doctorem, & panem & aquam cum tribulatione, & oculi tui videbunt doctorem tuum. His testimonijs confirmati in tantis ruinis imperiorum, speremus Deum tamen aliqua hospitia Ecclesiæ seruaturum esse, & ut seruet petamus, & non turbemus ea morum petulantia, sicut certe paulatim crescunt in imperijs confusiones propter hominum peccata, sicut ostendit statua Danicelis, & Iesaias deplorat distractiones & distractionum causas: Iniquitates nostræ ut venti dissipauerunt nos. Quam tristitia nunc sunt hospitia Ecclesiæ sub Turcis & Pontificijs tyrannis? Hæc intentes petamus familijs nostris & posteris tranquilla hospitia, & Deo gratias agamus, sicubi sumus in politijs honestis. TERTIA causa. Promissiones bonorum corporalium traditæ sunt, ut ea petantur, & fides & invocatio in eorum petitione exerceantur. Cogitemus hæc esse beneficia Dei, & dari, ut Ecclesia in hac vita viuere possit. Ad hunc ordinatum finem directa sit petitio, vitæ, sanitatis, victus, pacis, honesti status politici, æconomiarum. Vult Deus hæc peti, & in

his petitionibus de sese & de suis operibus cogitari. Ideo expresse mandatum est: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Et iubet Dominus nos petere panem quotidianum.

Hic vero etiam sciamus, promissiones corporales habere exceptionem crucis & castigationis. Non semper nox dantur corporalia quæ petimus, ut cum latro orat Deum, ne afficiatur legitimo supplicio, quia postulat Deus in corporalibus afflictionibus obedientiam, & in pœna scelerum & in cruce. Quoniam igitur non subito tolluntur omnes calamitates, tamen precatio non est irrita, sed certum est impetrari aut ut mitigentur pœnæ, aut ut profus tollantur, iuxta dictum: Si peccata vestra fuerint ut coccinum, & ut vermiculus, eritis candidi sicut nix, scilicet remota culpa, & remotis pœnis.

SEMPER autem ad petitionem adiungenda est gratiarum actio, ut confirmetur in mente assensus, quod & hæc bona corporalia reuera tribuuntur à Deo, iuxta dictum: Ipse est vita tua, & longitudo dierum tuorum. Psal. 32. Ecce oculi Domini super timentes eum, & expectantes misericordiam eius, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Profundum malum est in hominibus dubitatio de prouidentia, & videntur casu spargi hæc bona, cum sæpe tribuantur & malis, sed scito propter alios fines tribui, & te aspicias, scias te quoque indignum frui hac Dei beneficentia, & te pasci cum Ecclesia, quia vult Deus aliquam in hac vita Ecclesiam superflitam esse. Confirmes igitur assensionem, & petas à Deo hæc bona, & danti ostendas gratitudinem, sicut præcepit, hac ipsa confessione, quod ipse largiatur.

QUARTA causa. Inuocatio propter corporalia semper sit commonefactio de spiritualibus, quia in omnibus petitionibus oportet præluere agnitionem mediatoris & gratiæ, ac fidem, qua accipienda est remissio peccatorum, iuxta dictum: Peccatores Deus non exaudit. Item: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Item: Primum querite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Item in Prouerbijs: Oratio impij peccatum est. Vniuersaliter igitur promissio corporalium sit commonefactio de promissione gratiæ, & simul petantur bona æterna, sicut in precatione uisitata hæc coniunguntur. Prima est enim promissio gratiæ, deinde cæteræ additæ sunt, ut sit Ecclesia, sicut initio dictum est: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Postea addit: In labore comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ. Deinde uelut datur. Et quidem intercessio filij in omnibus petitionibus cogitanda est, sicut ipse ait: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Et 2. Corinth. 1. Omnes promissiones Dei in ipso ratæ sunt. Quinta causa. Ut promissiones illæ sint testimonia de præsentia Dei in Ecclesia etiam in hac uita, quia promittunt auxilium, liberationes & protectiones etiam extra naturæ ordinem, ut

præsentia Dei cernatur, iuxta dicta, Psal. 26. Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Psal. 50. Da nobis auxilium in tribulatione, vana salus hominis, in Deo faciemus virtutem. 2. Cor. 1. excellenter onerati fuimus supra vires, ut desperaremus ipsi de vita, & responsum mortis in nobis habuimus, ne confidamus in nobis ipsi, sed in Deo, qui exuscitavit mortuos. Et cum reuerfa multitudo ex Babylone nondum haberet loca munita, in quibus mulieres, pueri, senes aduersus subitas irruptiones tuti essent, consolatur eos Deus, inquiens: Non in exercitu, non in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus. Ego erò murus igneus in circuitu vestro. Iesai. 46. Qui gestamini in utero meo, ego etiam in senecta vos gestabo, &c. Iesa. 40. Sicut pastor in gremio suo gestat agnos recens editos, sic ego vos gestabo, &c. Hæc ita fieri exempla ostendunt. Inter alsidua latrocinia Iudaica, Syriaca, Parthica, Arabica, Aegyptiaca, Antiochi & Herodis tempore, tamen Deus mirabiliter protexit pias familias, Simeonis, Zachariæ, Annæ, Mariæ, & alias multas, & quidem ita, ut honesti congressus ad discendum & ad ministerium publicum fieri possent. Ita nunc seruet & seruet aliquas pias familias, & honestos cœtus, & ut gubernet ac seruet eos, toto cum pectore precemur.

HANC doctrinam de discrimine promissionum, & de usu rerum corporalium ordinato, de exercitijs fidei & inuocationis, in petendis beneficijs corporalibus, iusto ordine, Pontificij peruerso rerum ordine in suis consecrationibus, quæ vel magicæ sunt, vel idolorum cultus, obruunt. Ideo consecrationes eorum, de quibus hic diximus, damnandæ & vitandæ sunt. HAS responsiones de Banaricis interrogationibus eo tradidi, quia inquisitores illi astute in ipsa fronte nomina Ecclesiæ & schismatis tanquam Gorgonem nobis obijciunt. Terribile est autem nomen schismatis, & semper imperijs discordiæ exitiales sunt. Ideo apud Reges & Principes alienos à nobis plurimum læduntur nostri, cum dicimur autores schismatum & faces dissidiorum. Sed huic crimini opponenda est hæc vera, necessaria & firma consolatio. Mandatum Dei: Fugite idola, antefendum est & publicæ concordiæ, & vniuersis huius vitæ mortalis commodis. Adjungenda est hæc vox terribilis: Qui dixerit blasphemiam contra Spiritum sanctum, non remittetur ei. Ut igitur seiant rudiores, habere nos causas necessarias dissentendi ab aduersarijs, & hæc certamina non esse *λογαζίας*, nec nos ambitione, odijs, stultitia, errore nobis accersere pericula, necesse est nos monstrare schismatis causas, in quo illi culpandi sunt, qui manifesta idola colunt, & collapsum capiunt, & ut ea stabiliant, crudelitatem sine fine exercent. A talibus dissentire nos necesse est, iuxta dictum: Non communices alienis peccatis, &c.

REFVTATIO ERRO-
RIS SERVETI ET ANA-
BAPTISTARVM.

SCIO iam passim vagari erroneos, Anabaptistas & alios, fanatica deliramenta circumferentes, ideo in hoc libello hanc admonitionem addam.

VNICIA est vera Ecclesia Dei, de qua dicimus in symbolo: Credo esse sanctam Ecclesiam catholicam, quæ et si est languidum corpus, & multa habet infirma membra: tamen de fundamento consensum retinet, nec pertinaciter defendit idola & errores pugnantes cum articulis fidei, iuxta dictum: Fundamentum aliud poni non potest, præter id, quod positum est, Christus Iesus. Item: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Item: Fac ut unum sint in nobis. In ea Ecclesia sola sunt electi, iuxta dictum: Quos elegit, hos & vocauit. Ac dulcis consolatio omnibus pijs est, scire semper aliquas veræ Ecclesiæ reliquias conseruari. Quoties igitur verba Symboli recitamus: Credo esse sanctam Ecclesiam catholicam, læti Deo gratias agamus, quod seruat aliquas veræ Ecclesiæ reliquias, & circumspiciamus, quæ & vbi sint, & nos eis adiungamus consensu de doctrina, confessione & dilectione. Non vagemur opinionibus sine fine, ut Pyrrhonij. Regulam igitur teneamus, quæ iubet nos veræ Ecclesiæ ciues esse, vt dicitur Psalm. 28. Vnum hoc requiro à Domino, vt habitem in domo Dei omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluntatem Domini, & visitem templum eius. Psalm. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine, Elegi habitare potius ad limen domus DEI, quam in palatijs impiorum. Psalm. 91. Plantati in domo Domini in atrijs domus Dei nostri floribunt. Et Psalm. 93. Non adhæret tibi sedes praua, quæ format corruptelas in præcepto. Et Psalm. 121. Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem, prosperitas diligentibus te. Et 2. Iohan. 1. Qui non manet in doctrina Christi Deum non habet. Est autem certissimum signum veræ Ecclesiæ, doctrina Euangelij incorrupta, quam cum sonet confessio Ecclesiarum nostrarum firmissime retinens symbola, & cum puriore antiquitate consentiens, & damnans contrariam doctrinam & idola, affirmo nostras Ecclesias vere esse membra catholicæ Ecclesiæ Dei, & profiteor me earum ciuem esse, & ad earum societatem alios inuito, ut vnum simus in Deo, & hortor, ne sint erroneos, qui nullius Ecclesiæ ciues esse velint. Dignus est memoria dulcis versiculus Nazianzeni: *Ἐπὶ τῶν κλητικῶν ὅπως μέγαν ἀπὸν ἀλλόθεν.* Sumantur autem perspicuæ refutationes Anabaptistarum, ex scriptis quæ sæpe repetini.

tui. Nunc quia multi inter ipsos, & alibi, circumferunt Mahometi-
 cam blasphemiam contra filium Dei, quæ negat in Christo nato ex
 virgine duas esse naturas, diuinam & humanam, tantum de ea con-
 trouersia hoc loco dicam, vt pij in quotidiana inuocatione habeant
 in conspectu illustria testimonia contra Mahometicos, Samosatren-
 cos & Serueticos furores. Fit enim inuocatio firmiter & ardentior,
 cum vera testimonia intuetur. Sicut Pharisei cogitarunt Messiam
 fore excellentem virum, qui domitis gentibus impositurus esset le-
 gem Moyse, & deleturus idola, & facturus pacem politicam in genere
 humano, & nihil eum esse antequam nasceretur ex muliere, nec fore
 in eo naturam diuinam, nec inuocandum esse, nec daturum æter-
 na bona: Ita adhuc uiuentibus Apostolis, Ebion & Cerinthus con-
 tenderunt in Christo non esse duas naturas, diuinam & humanam, &
 subinde hanc blasphemiam homines profani renouarunt, vt Sama-
 satenus, qui defensus est à Zenobia, quam uicit Aurelianus. Et iudeo
 Arrium, Nestorium & similes re ipsa idem sensisse quod Samosa-
 tenus docuerat, etiam astute nouis inuolucris eandem opinionem
 texerunt. Tandem Diaboli, armis & horribili regno Mahometico
 hanc contumeliam filij Dei stabilierunt. Est enim neruus & funde-
 mentum regni Mahometici hæc blasphemia, quod in Christo non sit
 diuina natura. Considerantes autem hanc tantam potentiam oppo-
 sitam filio Dei, ingenti dolore afficiamur, & clamemus ad ipsum filium
 Dei, sicut ipse precatur in agone Patrem: Sanctifica nos fili Dei in
 ueritate, sermo tuus est ueritas. Notum est autem & recens Seru-
 tum renouasse Samosatrenicas blasphemias, & hunc multos Anaba-
 ptistas & alios sequi. **V**r igitur initio in conspectu sint insi-
 gnia, illustria & firma testimonia, quæ ostendunt duas naturas diui-
 nam & humanam in Christo esse nato ex uirgine, semper has duas
 proprietates diuinas tribui Christo consideremus in uersa scri-
 ptura Prophetica & Apostolica, uidelicet inuocationem & omnipro-
 tentiam. In scriptis Apostolicis testimonia sunt inuocatione Sil-
 ustria, Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &
 ego reficiam uos. Ioan. 3. Qui credit in filium habet uitam æternam.
 Acto. 7. Domine Iesu suscipe spiritum meum. 1. Thess. 3. Ipse Deus &
 Pater noster & Dominus noster Iesus Christus dirigat uiam nostram
 ad uos. 2. Thess. 2. Ipse Dominus noster Christus, & Deus & Pater
 noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bo-
 nam in gratia, confirmet uos in omni sermone & bono opere. Inuo-
 cat & Iacob Genes. 48. Deus Abraham, & angelus qui eripuit me ex
 cunctis malis benedicat pueris istis. Psal. 2. Beati omnes qui con-
 dunt in eum. Psal. 72. Timebunt eum donec erunt sol & luna. Item De-
 precabuntur coram eo semper. Et perpetua inuocatio uisitata in Ec-
 clesia.

clesia, *ἡ ἐκκλησία*, testimonium est de diuina natura in eo. DE Omnipotentia manifestissima sunt dicta in scriptura Prophetica & Apostolica, quod Messias redditurus sit iusticiam & vitam æternam. Propria est autem natura diuinæ omnipotentia. Ioan. 10. Ego vitam æternam do eis. Ioan. 17. Ego sum vitis, vos palmites, sine me nihil potestis facere. Matt. 18. Vbicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. T A L I A dicta multa sunt in conspectu, quia non solum de dogmate nos confirmant, sed etiam dulcissimas promissiones & consolationes tradunt, quibus vere est efficax ipse filius Dei, & cor alloquitur, iuxta dicta: Fides ex auditu est. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Deinde aspiciantur singularia testimonia, quæ sunt asseuerationes de duabus naturis in Christo. Et quia Ioannes consulto exorsus est descriptionem personæ Christi à diuina natura, id testimonium semper in conspectu sit. Et refutemus illusiones & præstigias, quibus Samosatenus, Photinus & Seruetus eum locum obnuere conati sunt.

N O M I N A T Ioan. æternam naturam in Christo *λόγος*, & hac appellatione expresse vitur in hac significatione, non solum in hoc exordio narrationis suæ, sed etiam bis in epistola cap. 5. Tres sunt qui testimoniū perhibent in cælo, Pater, *λόγος*, & Spiritus sanctus. Item in 1. cap. epistolæ: Quod erat ab initio, quod audiuiimus, quod vidimus oculis nostris, quod aspeximus, & quod manus nostræ contractauerunt de verbo vitæ annuntiamus vobis. In epist. ad Hebr. etiam expresse dicitur, Omnia per filium creata esse, & mox auditur descriptio: Qui est *ἡ ἀνάστασις τῆς δόξης καὶ χαρακτήρ τῆς ἰσότητος αὐτοῦ*, id est, substantialis imago. Sunt igitur duæ propriæ appellationes naturæ diuinæ filij, *λόγος* & imago æterni patris, quarum altera declarat alteram. Sed astute Samosatenus dicta Ioannis elusit. Finxit *λόγος* non oportere intelligi *λόγος ὁφιστάμενος*, seu vt nos dicimus, viuentem & intelligentem personam: sed satis esse, si intelligatur cogitatio seu decretum de venturo redemptore homine, seu sonus ipse promissionis euanesceus. Aduersus hanc elusionem astute cogitatam bene muniamus nos & dictis Propheticis ac Apostolicis, & uetustæ Ecclesiæ testimonijs. Ignatius nominat Christum *λόγος ἀσώδη*. Extat & Gregorij Neocæsariensis confessio, qui vocatus fuit ad cognitionem contra Samosatenum, dignissima memoria, quæ describit & discernit personas. Extant verba lib. 7. Eusebij: Vnus Deus Pater verbi viuentis, sapientiæ subsistentis, & imaginis sue integer integre genitor Pater filij vnigeniti. Vnus Dominus, solus ex solo, imago Patris, filius sempiternus ex sempiterno. Vnus spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, qui per filium apparuit sanctificans, per quem Deus super omnia cognoscitur. Tertullianus contra Praxeam expresse quæ-
stionem

tionem mouet, an $\lambda\omicron\gamma$ apud Iohannem significet $\sigma\acute{\omega}\mu\alpha$, qua voce intelligit personam, & affirmat $\lambda\omicron\gamma$ ibi significare non sonum aut cogitationem euanescentem, sed quiddam $\psi\psi\sigma\acute{\alpha}\mu\epsilon\upsilon\sigma$, subsistens & intelligens. Irenæi verba hæc sunt lib. 2. cap. 3. Ostenso manifeste quod in principio $\lambda\omicron\gamma$ existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui & semper affuit generi humano, hunc nouissimis temporibus secundum præfinitum tempus à Patre unicum suo plasmati, passibilem hominem factum misit.

Hæc sunt illustria testimonia laudatorum scriptorum, qui fuerunt ante Nicenam Synodum. Tentantur autem in scriptis Prophetis & Apostolicis illa primū, quæ loquuntur de Messia ante assumptionem naturæ humanæ. Dominus inquit: Antequam Abraham natus est, ego sum. Iohan. 17. Glorifica me et gloria, quam habui apud te, antequam fuit mundus. 1. Cor. 10. inquit Paulus, Christū affuisse populo in deserto. Et Michæ 5. Egredius eius ante dies mundi. Hæc verba de Messia proprie dici non dubium est. Est igitur in Messia nato in Bethlehem altera natura $\psi\psi\sigma\acute{\alpha}\mu\epsilon\upsilon\sigma$, quæ fuit ante initium mundi. Ac si $\lambda\omicron\gamma$ tantum significaret cogitationem non subsistentem seu sonum euanescentem, non posset dici, Antequam Abraham natus est, ego sum. Congruit huc & dictum Iacob: Benedicat Deus his pueris, & Angelus, qui liberauit me ex cunctis malis. Discernuntur Pater & filius, qui est Angelus, id est, missa persona. Et dulcis consolatio proponitur in appellatione missionis, quia significatur nobis missum esse, ut sit noster redemptor & saluator. Adiungo & dictum Iob capite 19. Scio quod redemptor meus uiuit. Ergo est natura Messia $\psi\psi\sigma\acute{\alpha}\mu\epsilon\upsilon\sigma$ ante assumptionem humanæ naturæ. Iohan. 5. Pater meus usque modo operatur, & ego operor. At se inde usque ab initio mundi operari cum Patre. Est igitur $\lambda\omicron\gamma$ $\psi\psi\sigma\acute{\alpha}\mu\epsilon\upsilon\sigma$. Idem deinde confirmant omnia dicta de omnipotentia & inuocatione Messia. Si $\lambda\omicron\gamma$ significaret tantum euanescentem sonum, non esset in Christo nato ex uirgine natura creatrix, omnipotens, & exaudiens. Expresse autem dicit Iohan. Mundus per ipsum factus est. Item: Quæcunque Pater facit, hæc & filius similiter facit. Sicut Pater exuscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Et illustre testimonium est in Paulo ad Coloss. ubi expresse de filio loquens ait, Per eum condita esse omnia, & per eum consistere, & ipsum esse ante omnia.

Hæc cum de natura humana non possint dici, manifesta asseueratio est, quod in hoc Christo nato ex uirgine sit & maneat altera natura, quæ est diuina & creatrix cum patre & spiritu sancto. Sic & epistola ad Hebræos loquitur, nominat filium, & mox addit: Per quem & secula fecit. In his testimonijs cum uocabulorum perspicua & unica sit significatio, non possunt aliæ peregrinæ interpretationes affingi. Quare pia mens agnoscat

agnoscit se conuinci, & intelligit nullis praestigijs sophismatum la-
befactari posse proprietatem & certitudinem in his dictis. Necessè
est igitur in exordio Ioannis intelligi *λογος ὑφ' ἑαυτοῦ*.

ADIVNGANTVR Prophetarum testimonia. Ierem. 23. Et
hoc est nomen quo vocabunt eum Iehoua. Ibi tribuitur Christo no-
men Dei proprium. Etsi autem Iudæi hoc testimonium veteratorie
eludunt, tamen retineamus nativam verborum significationem.
Ait Messiam vocari, id est, innocari hac fide, quod sit germen Dauid
& Deus omnipotens, qui reddat æterna bona, iusticiam & vitam
æternam. Hanc esse nativam sententiam manifestum est. Quoquo
modo ludant Iudæi, certe Christo tribuitur hæc gloria quæ soli Deo
competit, quod tollat peccatum & mortem, & reddat iusticiam & vi-
tam æternam. Iesai. 7. Vocabitur nomen eius Emanuel. Cap. 9. Voca-
bitur nomen eius Deus fortis, pater æternæ vitæ. Hic quoque præsti-
gias Iudæorum refutat asseueratio de omnipotentia. Pater æternæ vi-
tæ. Psal. 47. Concupiscet Rex decorem tuum, quia ipse est Deus tuus,
& adorabis eum. Dulcis consolatio est, quod ait Messiam delectari
pulcritudine Ecclesiæ, quæ tamen coram mundo valde deformis est,
oppressa odijs & levitia regum, dissipata, sine certo imperio, plena
pauorum, intra sese sentiens suam infirmitatem. Aduersus hanc tri-
stem speciem opponamus hoc dictum dulcissimum de pulcritudine
Ecclesiæ placens Christo. Psal. 72. Ante Solem erit nomen eius, &
benedicentur in eo omnes gentes. Estque singularis emphasîs in voca-
bulo: Ante Solem gignitur hic filius.

SUNT autem duæ appellationes filij expressæ in manifestis te-
stimonijs Ioannis & Pauli, Imago & *λογος*: Quarum declaratio à ve-
teribus scriptoribus tradita, pie, reuerenter, & sine cauillatione consi-
deranda est.

SVMITVR in declaratione similitudo ab
Anima hominis, in qua sunt mens, cogitatio, quæ est imago rei cogi-
tata, & motus qui est impulsio spirituum. Hæc præcipua in nobis ip-
sis vtrunque consideremus, & sciamus reuera mirandam fabricatio-
nem Dei esse, quæ nunc in hac infirmitate nostra non satis perspicî
potest. Sed tamen commonefactio de Deo est. Aeternus pater est ve-
lut mens, Hic sese intuens & perfecte cognoscens, cogitatione illa
gignit imaginem suam. Nos formamus imagines evanescentes, sed ipse
gignit imaginem non evanescentem, sed *ὁ φῶς ἀμὲν ἔωξ ἡμῶν*, & vt
in Symbolo dicitur, Lumen de lumine, in qua imagine lucent patris
sapientia & bonitas. Cum hac appellatione imaginis congruit altera
appellatio, quia imago genita cogitatione est *λογος*. Hac declaratio-
ne plurimum veteres vsi sunt, Basilii, Nazianzenus, Augustinus &
alij multi. Addit & hanc Nazianzenus, filium dici *λογος*, quia sit per-
sona immediate proferens Euangelium ex sinu æterni patris, allo-
quens

quens patres, conseruans ministerium Euangelij, & immediate in eo efficax est, ostendens patrem, sicut inquit: Nemo nouit patrem nisi filius, & cui filius uult reuelare. Vnde & hoc dulcissimum Argumentum extruit:

Filius protulit Euangelium ex sinu aeterni patris ab initio,
& ostendit patrem,

Hic idem filius natus est ex uirgine,

Est igitur hic filius ante assumptionem humanae naturae.

Hæc congruunt ad dictum: *ὁ λόγος ἦν μετὰ τὸν θεόν*.

Hæc declaratio *περὶ λόγου* valde dulcis est pie eam consideranti. Ipse re alloquitur filius, qui adest in ministerio externo Euangelij, sicut & apud Iesaiam dicitur: Ego qui loquor ecce assum. Hic filius est verax legatus & imago aeterni patris, profert verissime quod sentit pater, vere adest filius, exaudit, & est efficax in consolatione, quæ sonat in externo ministerio. Et ad Ephes. dicitur: Seder ad dextram patris dans dona hominibus, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores. Et Athanasius inquit: Patefecit se pater hominibus per imaginem, in qua ipse luces. Ex talibus dictis sumit Nazianzenus hæc declarationem, dicit *ὁ λόγος ἦν ἕως ἀρχῆς τοῦ κόσμου*.

Hæc declaratio minus obscura est quam altera, & valde dulcis. Est enim aliqua certa vocabulorum significatio cogitanda, & tamen discerni filium, qui est *ὁ λόγος ἕως ἀρχῆς τοῦ κόσμου*, & imago aeterni patris à sonis externis significantibus, & à nostris cogitationibus in infinitum oportet. Et considerandum est, vbi diserte scriptura de filio loquatur, vbi de doctrina & voce reuelata. Hæc Stenckfeldius multipliciter confundit, qui negat externa voce Euangelij Deum efficacem esse.

PRÆCIPUE vero opponitur doctrinæ de naturæ diuina in Christo argumentum de morte. Christus mortuus est, Non est igitur Deus.

AD id argumentum uera & necessaria responsio est. Cum in Christo duæ sint naturæ, quædam propria vni naturæ non impediunt, quo minus asit altera natura. Propria sunt hæc humanæ naturæ, lacerari membra, pati, mori. Ideo Petrus diserte dixit, Christum passum esse carne. Et Irenæus inquit, Christum crucifixum & mortuum esse quiescente verbo, *ὁ λόγος ἦν ἕως ἀρχῆς τοῦ κόσμου*, id est, diuina natura non est lacerata aut mortua, sed non est vsa potentia, non exeruit suas vires. Citat & hoc dictum & alia multa Theodoretus in Dialogo tertio. Et inter decreta in Synodo Damasi Theodosij i. tempore facta legitur: Si quis dicit, quod in passione crucis dolorem sustinuerit filius Dei, diuinitate & non carne & anima rationali, quam assumpsit in forma serui, anathema sit Hieronymi verba sunt hæc in Confessione scripta ad Damasum. Secundum illud passus est quod pati poterat, id est, non secundum naturam

lam substantiam, quæ assumfit, sed secundum illam quæ assumta est. Ipse enim filius secundum suam Deitatem non potest mori. Et Athanasius in libro de incarnatione verbi pagina 28. Cum non esset possibile ipsum mori verbum, quippe immortalem patris filium, corpus sibi quod mori posset, assumfit. Caste & reuerenter vstatæ formæ loquendi in Ecclesia retinendæ sunt. Nemo sic locutus est: Christus mortuus est secundum vtranque naturam, imo particula *κατὰ* expressè distinctiua est Roman. 1. de filio nato ex semine Dauid secundum carnem, *κατὰ σάρκα*. Et in Actis cap. 2. Secundum carnem resurrecturum esse Christum. Inde & alij particulam *κατὰ* sumserunt, vt Hieronymus. Passus est secundum naturam assumtam. Et Theodoretus Dialogo secundo pag. 42. *κατὰ τὴν πρόσληψιν σαρκὸς ἐσαύθουται*. Et considerandum est quas formas loquendi vetus & purior Ecclesia receperit.

N E Q V A Q V A M dicitur in abstracto, Natura diuina est humana. Sed in Concreto dicitur, Deus est homo, cum de Christo nato ex virgine loquimur. Item, Deus est natus ex virgine: Deus est passus. Et nominatur hæc forma loquendi communicatio idiomaticum, quæ est prædicatio, in qua proprietas vnus naturæ dicitur de persona in concreto, & significatur in Christo duas esse naturas, non tantum ita, vt altera sit sociæ & separabilis, sicut in Elia & alijs Sanctis adest Deus societate, vt auxiliator, & separabiliter: sed sic, quod *λόγος* assumserit humanam naturam miranda vnione inseparabili & personali. De hoc modo loquendi inquit Theodoretus p. 67. *καὶ τὸ προσώπου γίγναι τὰ τῶν φύσεων ἴδια*. Item pag. 68. *ἢ σύγχυσιν λεγόμενον τῶν φύσεων ἢ κοινότης τῶν ονομάτων*. In controuersijs Nestorij & Eutyichis necessaria fuit diligentia discernendi modos loquendi. Nestorius enim vociferabatur: Noli gloriari Iudæe, non enim Deum sed hominem crucifixisti. In his verbis insidias non cernebat populus. Quare magna multitudo Nestorium defendit. Aduersabantur autem ei saniores, qui intelligebant quo tenderet Nestorius. Reipfa enim hoc sentiebat, sicut in Elia fuit diuinitas tanquam sociæ & auxiliatrix & separabiliter, sic in Christo *λόγος* adest vt socium, nec volebat duas esse naturas in Christo, vnitas vnione hypostatica. Existimo autem Nestorium Samosatani & similibus blasphemiam astute renouasse, sed sutatam artificiosius. Non igitur *λογομαχία* erat certamen Orthodoxorum aduersantium Nestorio, sicut tunc quoque multi vociferabantur, sed de re maxima pugnabatur. Necessè fuit retineri hanc sententiam: Infinitum discrimen inter Christum & Eliam esse, & in Christo nato ex virgine sic esse duas naturas, *λόγος* & humanam, vt *λόγος* sit missus, vt assumpta humana natura sit Saluator, atque ita semen mulieris conterat caput serpentis. Ac vt aliquo modo indicari posset vnio personalis, vetustas vsa est similitudine copulationis cor-

poris & animæ in homine. Hæc similitudo sæpe repetita est ab Athanasio & Cyrillo, & verba hæc apud Iustinum leguntur digna memoria: *τινὲς μὲν πλὴν ἐνώσιον ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκείνῳ ὡκασιν καὶ ἀρμόδιον γὰρ τὸ πρὸς αὐτὸ γῆμα εἶναι κατὰ πάντα, κατὰ τὴν γοῶν.* Vt igitur non dicimus, Anima est corpus, & tamen de integro homine dicimus: Homo videt, numerat: ita dicitur, Christus dormit, patitur, etiam si non dicimus, natura diuina dormit aut patitur. Inde distinctio tradita est inter propositiones in abstracto & concreto. Non dicitur, Natura diuina est passa, sed Christus est passus, qui est Deus & homo. Estq; vetis hæc distinctio ad explicanda multa scripturæ dicta: Antequam Abraham natus est, ego sum. Aspiciant me quem confixerunt. Tales propositiones intelligantur dici communicatione idiomatum. Reuerenter autem cogitemus & loquamur, & fontes consideremus, ac sæpe intuemur testimonia fidem confirmantia de utraque natura, ut gloriam filij Dei agnoscamus, & poterit ipsius ac presentis cogitatione nos confirmemus, non sauciemus mentes inextricabilibus caulationibus.

EUTYCHES post Nestorium confusionem naturarum finxit, quasi conuersa esset humana in diuinam τὴν λόγος, & retinuit has propositiones: Natura diuina est passa & mortua, & interpretatus est dictum, Verbum caro factum est, hoc modo: Verbum factum est carnum. Existimo autem hunc quoq; recte renouasse Samosatensium blasphemiam. Late autem vagata est hæc pestis, & diu hæsit, videlicet à fine Theodosij II. vsque ad Iustinianum. Cumque Theodosius secundam Ephesinam Synodum indixisset, propter eam controuersiam tanta fuit rabies in defensoribus Eutychem, ut Flavianus Constantinopolitanus Episcopus verberibus expulsus ex confesso, postea mortuus sit. Propter eos tumultus Synodus illa dicta est *λησθημένη*. Quadriennio post, Martianus Synodum Chalcedonensem indixit, quæ decreta fecit pia contra confusionem naturarum in Christo, nec tamen extinctum est illud incendium, sed multi Episcopi etiam postea magnis contentionibus Synodo Chalcedonensi aduersati sunt. Accurate autem refutarunt Eutychem Theodoretus & Vigilus Martyr. Hæc breuiter adieci, ut pij commonefiant de veteribus Ecclesie certaminibus & iudicijs, & cogitent de fontibus. Supra recitavi dictum Petri, qui ait, Christum passum carne, & addidi alia quædam vetera dicta, quæ sint in conspectu, & opponantur Stenckfeldij & aliorum clamoribus, qui audacter similia spargunt Eutychemianis, & delent doctrinam de communicatione idiomatum. In his quorundam tanta est petulantia, ut fingant duplicem communicationem idiomatum, aliam Dialecticam, aliam Physicam, quæ est confusio naturarum.

Hæc prolixius commemorare nolo, quia infirmi facile fau-
 ciantur, cum audiunt cauillationes illorum præstigatorum. Vtilius
 est sæpe cogitare illustria testimonia, quæ fidem de vtraque natura in
 Christo confirmant, & nos exuscitant, vt læti ad eum accedamus in
 inuocatione, sicut ipse præcipit: Venite ad me omnes qui labo-
 ratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Item: Ego
 sum vitis, vos palmites, sine me nihil potestis fa-
 cere. Et vt Ierem. inquit: Inuocabunt
 eum, Deus iusticia nostra.

FINIS.

RESPONSIO PHILIPPI MELANCHTHONIS DE CON- TROVERSIIS STANCARI.

QVOD filius Dei Dominus noster Iesus Christus crucifixus pro
 nobis & resuscitatus orauit æternum patrem in agone suo, vt
 faciat, ut vnus simus in ipso, idem haud dubie semper orat. Ad hu-
 ius summi Sacerdotis precationem nostra vota etiam adiungamus,
 & petamus idem, vt mentes & corda omnium docentium in his Ec-
 clesijs copulet, ut unum simus in Deo. Sit in nobis quoque pium stu-
 dium concordie, non queramus incensi odij quod calumniose in
 speciem exagitari possit, quædam etiam prætereamus, quæ moueri
 non est vile.

POSTquam igitur à me petitum est, vt de scri-
 ptis Musculi & Stancari meum iudicium exponam, tantum præcipu-
 as eorum controuersias attingam, non agitaro alia, quæ obiter asper-
 sa sunt. Sæpe ex paruis inijs magna dissidia oriuntur, sicut his pro-
 ximis annis multa exempla vidimus. Ideo si possem, præsens certa-
 men tollere mallet, quam accendere maiores contentiones. At fili-
 um Dei oro, ut nos doceat & gubernet. SUNT autem duæ con-
 trouersie præcipuæ, quantum ego quidem intelligo, Altera de modo
 loquendi in communicatione idiomatum, Altera de mediatore.

DE PRIORE CONTROVERSA, hæc mihi videtur esse
 iusta & plana via concordie, vt nos omnes retineamus formas lo-
 quendi approbatas graui autoritate in Ecclesia, quia mutatio aut er-
 rores aut dissidia parit. VIDI Musculi propositiones editas
 mense Maio anno LII. in quibus recte loquitur de duabus naturis
 in Christo nato ex virgine. Et vtrunque Musculum & Stancarum
 scire non dubito, qui modi recepti sint. Ecclesia recte & vere dicit

LII de

de Christo: Deus est natus ex virgine, passus, mortuus, resuscitatus. Non dicit: Natura diuina est passa, mortua, resuscitata, quia in concreto persona intelligitur, in abstracto tantum altera natura. Est autem multi qui fontes horum discriminum ignorant, putant esse inanem subtilitatem hos modos loquendi discernere, tamen eruditi sciunt grauissimas esse causas.

N E S T O R I V S negabat has propositiones: Deus est natus ex virgine, crucifixus, &c. Ideo dicebat, Noli gloriari Iudæ: non enim Deum, sed hominem crucifixisti. Hinc aut ipse aut alij hoc extruebant, Christo assidue naturam diuinam per societatem, seu assistentiam, sicut assuit Elix, aut alijs Prophetis, nec fuisse vnionem Hypostaticam, seu non fuisse vnā personam.

P A T I E N T E Ioannē Baptista, quanquam adest ei Deus, & metaphorice dicitur, Deus pati, tamen vnus est personæ, quæ non est Deus. Relatio tantum, id est, contemtus ad Deum pertinet, vt cum legatus violatur, relatio ad regem pertinet. Sed Christo patiente, alio modo dicitur Deus pati, quia hæc persona patitur, quæ est Deus.

H A N C formam sermonis discimus ex ipso filio, sic loquente in Prophetis & Apostolicis scriptis, vt Iohan. 8. Amen amen dico vobis, priusquam Abraham natus est, ego sum. Ioan. 1. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Zach. 12. Aspicient me quem confoderunt.

I N his & multis similibus dictis, manifestum est, de vno & eodem Christo dici, & tamen intelligi discrimina naturarum oportet. Hic Christus fuit ante Abraham secundum naturam diuinam, ac nunc idem est subsistens seu eadem persona, quanquam natura humana assumpta est.

V T igitur discernatur hic filius ab alijs sanctis, & aliquo modo conspiciatur discrimen inter hypostaticam vnionem in Christo, & societatem seu auxilium Dei in alijs sanctis, recte tradita est doctrina de communicatione idiomatum, quæ est forma sermonis, in qua proprietates vni naturæ congruens, dicitur in concreto de persona, vt vulnerari, posse mori. Dicimus igitur in concreto, Christus est homo, λόγος est homo, Christus est vulneratus, Christus est mortuus, Deus est mortuus.

P R O P R I A vero diuinæ naturæ sunt, æternitas, omnipotentia, immortalitas. Ita dicitur, Christus est γένος æterni patris, coæternus patri, Christus est omnipotens, immortalis.

D I S E R T E autem dictum est, communicationem fieri in concreto, non in abstracto. Vt enim necesse est retineri vnitatem personæ seu vnionem hypostaticam, ita necesse est agnosci duas naturas in Christo nato ex virgine, nec facienda est naturarum confusio. Nequaquam igitur dicimus: Natura diuina dormit, vulneratur, moritur.

E T Athanasius in libro de incarnatione vere inquit: Cum non esset possibile ipsum verbum

bum mori, quippe immortalem patris filium, corpus sibi quod mori posset accepit, ut id corpus verbi particeps factum & moreretur pro omnibus, & inhabitans verbum incorruptibile maneret. Sic ille locutus est.

A c certum est, Ecclesiam sic loqui: Natura diuina non moritur, & tamen veræ sunt propositiones in concreto, Christus est mortuus, Deus est mortuus. Addidit autem Petrus declarationem, 1. Pet. 4. Christus passus est carne. Ac Paulus vsus est particula distinctiua, secundum, Rom. 1. & Rom. 9. Et in actis capite 2. dicitur: Ex fructu lumborum eius secundum carnem. Sic postea Athanasius & Cyrillus vtritur particula, secundum, tanquam distinctiua. Sæpe sic loquitur Athanasius, ut in lib. cui titulus est, De assumptione hominis, inquit: Nonne hæc omnia secundum humanam naturam sustinuit? &c. Sic & Hieronymus loquitur in expositione fidei, Passus est secundum id quod pati poterat, videlicet, non secundum naturam, quæ assumpta, sed secundum illam quæ assumpta est. Ac mox addit: Mortuus est Dei filius iuxta scripturas, secundum id quod mori poterat.

V I G I L I V S Martyr Episcopus Tridentinus lib. 4. inquit: Ipse igitur vnus idemque Dei filius, Dominus Iesus Christus mortuus est secundum formam serui, & non est mortuus secundum formam Dei. Denique passim obuia sunt talia dicta. N v s Q V A M autem inuenitur hæc forma sermonis, Christus secundum vtranque naturam, diuinam & humanam est mortuus. Discrimen naturarum sic illustri forma verborum monstrat Irenæus, pag. 185. Sicut enim homo erat ut tentaretur, sic & verbum erat, ut glorificaretur, quiescente quidem verbo, ut posset tentari, crucifigi & mori. Vfus est Irenæus singulari consilio hac insigni descriptione, Quiescente verbo, id est, tunc non exerente suam potentiam in repellenda passione & morte, sicut ad Philip. dicitur. Exinaniuit sese, &c. Non ait, naturam diuinam mortuam esse, sed quiescisse, ut natura assumpta mori posset.

A v d i o autem eos qui dixerunt, Christum secundum vtranque naturam mortuum esse, nunc addere interpretationem huic suæ formæ loquendi. Sed consulo, ut phrasin Pauli, quam & postea imitata est Ecclesia, retineamus, nec in re tanta nouæ & ambigæ formæ loquendi spargantur. Vbi autem prædicatum conuenit vtrique naturæ in abstracto, ibi recte sic loquimur, ut Christus est viuus in cælo secundum vtranque naturam, &c. T o t a hæc doctrina de modis loquendi nota est his, qui legerunt Synodi Ephesinæ disputationes, quarum habemus summas in Apologia Cyrilli. Et extat adhuc in Bibliotheca Phorcensi Synodus Ephesina integre scripta Græce, in qua singulorum, qui sententias dixerunt, integre orationes recitantur, quam ante annos aliquot inspexi, ut melius cognoscerem controuersiam Nestorij, in qua multi sunt la-

byrinthi. **N**ec tantum rixæ de modis loquendi fuerunt, sed etiam de rebus maximis fuit: An λόγος assit humanæ naturæ tantum per societatem seu assitentiam, sicut Eliæ aut Elisæo affuit, an alio modo, An sint duo filij λόγος & natus ex virgine, An sit sacerdos tantum secundum naturam humanam. Expresse enim in Apologia Cyrilli refutatur hæc obiectio Nestorianorum: Si Christus secundum naturam diuinam esset sacerdos, sibiipsi offerret. Item: An vna adoratione adorandus sit filius, & quomodo inuocandus sit filius.

Fons autem doctrinæ de communicatione idiomatum, est doctrina de vnione Hypostatica. Ideo enim prædicata communicantur, quia est vnum ἰφυσάμενον, vt dicimus. Hic homo numerat, quanquam tantum mente numerat. Considerandum igitur est aliquo modo differimen vnionis hypostaticæ in hac persona, & aliorum modorum præsentia Dei.

Primum igitur sciendum est, esse vniuersalem præsentiam Dei, qua tres personæ assunt omnibus creaturis, quo ad conseruationem substantiæ, tantisper donec conseruantur. Et hanc esse separabilem præsentiam manifestum est, quia Deus destruxit Pharaonem, & alios cum vult.

Secundo est alia præsentia, qua adest Deus beatis Angelis & hominibus, qua non solum substantias conseruat, sed etiam præbet eis lucem, ita ut coram eternant Deum, & sit Deus omnia in omnibus, accendens dilectionem, iusticiam & læticiam. Quanquam autem à beatis non discedit, tamen beati sunt tantum hospitia & templa Dei, à quibus discedere Deus posset, & excepto Christo, quilibet beatus est ἰφυσάμενος, non est Deus.

Tertio, est præsentia alia, qua adest renatis in hac vita, non tantum conseruans substantias, sed etiam per filium & Spiritum sanctum, incoans in eis nouam lucem & iusticiam, nec tamen cernitur Deus, vt in vita æterna, sed per verbum fide agnoscitur. Hanc præsentiam separabilem esse affirmat scriptura, & ostendunt tristissima exempla, sicut dicitur Matth. 12. Fiant nouissima hominis illius peiora prioribus.

Quarto, longe alia est præsentia, qua tantum hæc persona λόγος assumit humanam naturam, non solum inseparabiliter, sed etiam tali vnione, ut sit vnum ἰφυσάμενον, & sustentetur assumpta natura, & quasi gestetur in λόγος. Est autem exemplum huius vnionis nullum in creaturis ostendi potest, quod prorsus congruat: tamen & veteres, Athanasius, Cyrillus & Iulianus, vt aliquo modo hanc vnionem declararent, hominem ostenderunt. Sicut anima hominis & corpus, sunt vnum ἰφυσάμενον completum, & corpus dissoluitur desertum ab anima: ita λόγος & assumpta natura sunt vnum ἰφυσάμενον, & redigeretur in nihilum humana natura, si non sic gestaretur in λόγος.

Verba Iuliani hæc sunt: Aliqui vnionem, velut animæ ad corpus cogitantes, sic declarant.

deklarauerunt. Id exemplum concinnum quidem est, quanquam non prorsus congruit, sed tamen secundum aliquid congruit. Hæc Iustinus. Paulus hunc modum nominat *συνεπιτικός* in Christo habitare Deitatem, id est, Non effectiue tantum, sed vt sit vnum *σῶμα*, id est, vna persona, vt nos loquimur.

MVLTO longius abest similitudo, & vt ita dicam pictura, cum dicunt humanam naturam insertam esse diuinæ, vt surculi inseruntur alienæ arbori. Sed his qualibuscunque picturis vetustas voluit aliquo modo beneficia huius copulationis ostendere. Massa assumpta sustentatur à *λόγῳ*, & accipit ab eo, vt sit & subsistat. Deinde nos quasi pendentes de illo surculo gestamur. Reuerenter considerandum est consilium Dei, & gratiæ Deo agendæ sunt quod misit filium, & hæc miranda assumptione fœdus nobiscum fecit, & ostendit ingentem amorem erga nos. Ac piuum est vti modis loquendi vsitatis, & non procul quærere profanas quæstiones, & modos loquendi inusitados. Sæpe autem cogito hanc ipsam ob causam in hominē sic copulata esse animam & corpus, vt sit vnum *ἰψὸν ἄμωον*, vt aliquo modo typus esset huius arcane copulationis, qua *λόγῳ* assumfit humanam naturam, & viuificans illam suam massam, restituit vitam membris suis.

DE ALTERA CONTROVERSIA.

AN CHRISTVS SIT MEDIATOR
TANTVM SECVNDVM HYMANAM
NATVRAM?

DISCERNENDÆ sunt appellationes quæ naturarum proprietates significant ab officij appellationibus. Deus, omnipotens, immortalis, sunt appellationes ad naturam diuinam referendæ: Homo, passus, vulneratus, mortuus, sunt appellationes ad naturam humanam referendæ. Sed nomina officij sunt, mediator, redemptor, saluator, rex, sacerdos, pastor, &c. Hæc nomina officij competunt personæ, non tantum naturæ humanæ. Ac dissimilitudo est inter has propositiones, Filius Dei est mortuus, & Filius Dei est mediator, rex, sacerdos, pastor. Hanc dissimilitudinem attente cogitet pius lector. Quanquam enim actiones quædam sunt in natura humana proprie, vt dolores omnes & agones in passione: tamen misso filij Dei ab initio sit ad Ecclesiam, & filius perpetuo adest Ecclesiæ, & vult obœdientiam, ad quam mittitur, profert Euangelium ex sinu æterni Patris, intercedit pro Ecclesia, seruat & viuificat eam, & patres agnoscunt eum esse mediatorem & redemptorem, propter futuram obœdientiam personæ post assumptionem humanæ naturæ. Nec misso & obœdientia tollunt æqualitatem potentiæ, sicut expresse in-

L 1 4 quit

quit Cyrillus. Nec intelligantur mediator, rex, sacerdos, tantum de natura patiente & moriente, sed de persona placante, victrice, exaudiente, exhibente promissiones noui Testamenti, sicut de se patet inquit Dominus: Ego pono animam meam pro omnibus. Item: Ego vitam æternam do eis. Agnoscamus igitur mediatorem, redemptorem, saluatorem, regem & sacerdotem hunc Christum, Deum & hominem, & gratias agamus Deo pro hoc immenso beneficio, quod filium voluit assumere humanam naturam, & hunc filium Deum & hominem voluit esse redemptorem & saluatorem & caput Ecclesiæ, quod omnia perficit. Huius nostræ fidei testimonia sunt manifesta, Iohann. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum vnigenitum dederit, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per eum. Hæc neque de sola natura humana intelligi possunt, neque sic accipi possunt, quasi nihil agat apud Patrem pro nobis, aut nihil agat nobiscum. Item, Veteres promissiones manifeste comprehendunt vtraque naturam. Semen mulieris conteret caput serpentis. Item: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et Ieremias 23. dicitur. Suscitabo germen Dauidi, & regnabit rex, & hoc est nomen quo vocabunt eum, Iehoua, Iusticia nostra. Secundo. Sic & in symbolo dicitur: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Iam si tantum natura humana est redemptrix, quare dicitur filius descendisse de cælis propter nostram salutem? Tertio. Epistola ad Hebræos promiscue vtitur his vocabulis de Messia, Mediator noui testamenti & summus sacerdos. Cumque discernit summum sacerdotem noui Testamenti, à summo sacerdote veteris Testamenti, inquit: Lex homines constituit summos sacerdotes habentes infirmitatem, sermo autem iuramenti post legem, filium in æternum consummatum. Ostendunt autem officia summi sacerdotis & mediatoris noui Testamenti, non tantum intelligi naturam humanam, sed personam quæ est Deus & homo, habentem actiones in vtraque natura. Est enim summus sacerdos noui Testamenti, persona immediate missa à Deo ad patefactionem Euangelij, ad placandam iram Dei suo sacrificio, & ad precandum pro nobis, habens testimonium quod exaudiatur, per quam & exhibentur bona promissa in nouo testamento. Huius descriptionis membra recitari & declarari in epistola ad Hebr. agnosceat pius lector. Et hæc congruunt ad appellationem mediatoris. Dicit autem epistola ad Hebræos personam missam ad sacerdotium, esse hunc filium, de quo inquit æternus Pater, filius meus es tu, ego hodie genui te. Ac missus est hic filius statim initio ad Ecclesiam ad patefaciendam promissionem. Semen mulieris conteret caput serpentis,

pentis, ideo scriptum est: Filius qui est in sinu aeterni Patris, ipse enarrauit nobis. Et quidem dicitur $\lambda\omicron\gamma\textcircled{S}$, quia per eum Pater se nobis patefacit. Ac propter eum & per eum immediate semper initio collecta est Ecclesia, semper affuit singulari modo patribus, sicut Iacob inquit: Deus coram quo ambulauerunt patres mei Abraham & Isaac, Deus qui nutrit me quamdiu fui usque in hunc diem, Angelus qui redemit me ex cunctis malis benedicit pueris istis. Hic non dubium est, Angelum intelligi filium Dei missum ad redemptionem & benedictionem. Et Paulus expresse inquit, Christum affuisse patribus in deserto, biberunt ex spiritali comitate eos petra, petra autem erat Christus. Iosue 7. Prope Iericho videt Iosue Dominum coram, & eum adorat & alloquitur. Iob 19. dicitur: Scio quod redemptor meus viuit. Nominat filium Dei redemptorem, tunc viuentem, & hunc ait surrecturum esse, & fore instauratorem vitæ.

Hic filius inde usque ab initio ad Ecclesiam missus, quid agit? Docet, orat pro Ecclesia, viuificat dato Spiritu sancto credentes, exaudit inuocantes, protegit & seruat eos, sicut de precatione expresse scriptum est, Psalmo 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem. Ideo recipit nos diuinitas, quia hic filius est deprecator inde usque ab initio. Et Psalmo 10. dicitur: Ad sanctos, qui sunt in terra, omnis mea voluntas. Et de impijs dicitur: Non assumam nomina eorum super labia mea. Omni tempore pro sanctis precatus est, & precatur, & detestatus est blasphemos. Nominatur ergo sacerdos in æternum. Et cap. 7. ad Hebræos dicitur: Semper viuens, vt interpellet pro eis. Et Danielis 12. In tempore illo stabit princeps magnus Michaël pro filijs populi tui, &c. Zach. 1. Orat angelus qui loquitur in Zacharia, videlicet, $\lambda\omicron\gamma\textcircled{S}$: Usquequo non misereberis Hierusalem, &c. Quarto, huius mediatoris proprietas est, videre corda inuocantium, discernere veram inuocationem & hypocrisis, exaudire inuocantes, & ingredi in consilium arcanum aeterni Patris, id est, videre voluntatem aeterni Patris, & pro nobis deprecari. Hæc propria sunt naturæ omnipotentis.

Nec dubium est Christum loqui de se, tanquam de mediatore, cum ait: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hic vult nos accedere fiducia mediatoris. Et vult ipse in quantum mediator, agnosci, qui exaudit, & perfert preces nostras in arcanum consilium Patris. Sic & nos ad sese accedere iubet, inquit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Hic certe vtranque naturam complectitur, quia natura humana non recreat sine diuina.

Cumque de inuocatione cogitamus, perspicue intelligitur hanc quæstionem non esse rixas de verbis, sed de re maxima agi, scilicet, de honore filij Dei.

QUÆRIT mens quid alloquaris in inuocatione, quis exan-
 diat, quis opem ferat, quo obiecto debeat niti fides. **C**UM di-
 cis, Misereri mei fili Dei, Domine Iesu Christe, non tantum allo-
 queris humanam naturam, sed hanc personam Deum & hominem,
 & peris ut intercedat pro te, & ipse opem ferat, id est, ut per ipsum
 diuinitas tibi opem ferat, sicut inquit: Venite ad me omnes qui la-
 boratis & onerati estis, & ego reficiam vos, merito & efficacia. Et si-
 des nititur hac persona quæ est Emanuel, credis cerni gemitus cor-
 dis tui, quia hæc persona est Deus, credis te recipia à Deo propter me-
 ritum & deprecationem huius personæ, credis hanc personam effica-
 cem esse. Ideo Synodus Ephisina recte decreuit vna latria adorand-
 um esse Christum Deum & hominem. **S**IC & Psalmi do-
 cent, Psal. 2. Osculamini filium. Et Psal. 47. Et concupiscet rex de-
 corem tuum, quia ipse est Deus tuus, & adorabis eum. Et Psal. 72. Et
 adorabunt eum omnes reges terræ. Et Iesaiæ 11. In die illa stabit ra-
 dix Iesse, ut sit signum populis, gentes ad eum confugient, & requies
 eius erit gloria. Ieremiæ 23. nominatim fit mentio inuocationis:
 Suscitabo Dauidi germen iustum, &c. Et hoc est nomen quo voca-
 bunt eum, Iehoua iusticia nostra, id est, Hæc persona germen Da-
 uidis & Deus, sic inuocabitur, quod sit Deus, & iustificet inuocantes,
 det remissionem peccatorum & viuificet. **Q**UOD autem ob-
 iicitur: Nemo est mediator sui ipsius. Item: Nemo est deprecator
 apud seipsum: Responsio perspicua est, Hæc vera sunt eodem respec-
 tu, & vbi vnica persona est. Sed hic discerni oportet inter mitten-
 tem diuinitatem & filium missum. Filius in quantum missus est, est
 mediator & sacerdos. Recitat Cyrillus prorsus similem obiectio-
 nem Nestorij. Si Christus secundum naturam diuinam esset sacer-
 dos, sibi ipsi offerret. Respondet, officium esse personæ. Hæc nulla
 persona est mediatrix apud mittentem diuinitatem. Et tamen verum
 est, filium esse *oprobriis* æterno Patri, & æqualem potentia. Sed ma-
 net personarum distinctio. Filius assumpsit humanam naturam, non
 Pater, Filius perfecte nouit & honorat Patrem, & liberrima volun-
 tate vult obœdientiam, & congruunt voluntate diuina & humana
 in deprecatione. Sicut in Ioanne dicitur in prece ante agonem:
 Sit in eis tua dilectio qua me diligis. Quinto, mediator, rex, salua-
 tor, non tantum intelliguntur de natura patiente & moriente, sed
 de persona victrice. Sicut personam victricem comprehendit pro-
 missio. Semen mulieris conteret caput serpentis. Conterit hæc per-
 sona non tantum merito in passione, sed etiam quia vincit mortem
 in suo corpore, & in nobis, & restituit vitam & iusticiam æternam.
 Et Matth. 1. Pariet filium, & vocabis nomen eius Iesum, ipse enim
 saluabit populum suum à peccatis suis, saluabit non tantum merito
 in

in passione, sed etiam efficacia. De rege manifestissimum est comprehendere utranque naturam, ut Psalmo 2. Ego constituo regem meum super Zion; ego hodie genuite. Et nota sunt testimonia, ac regis proprietates est vincere.

Quod autem obicitur: Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Victoria igitur & saluatio, est Patris, Filij & Spiritus sancti, & tantum passio est Christi propria. Respondeo simpliciter ad regulam: Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, seruata cuiusque personae proprietate, Filius assumpsit humanam naturam, non alia persona, Filius & Spiritus sanctus mittuntur. Agit Filius non à se, sed per se, ut inquit Augustinus. Saluat & uiuificat Pater, sed hoc ordine per filium, ut Paulus inquit, Deo gratia, danti nobis victoriam per Dominum Iesum Christum. Et Filius inquit: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, Quod manifestum est sic accipiendum esse, Patrem iudicare non solum, sed per filium iudicare, & patefacere iudicium. Per Filium patet Euangelium, seruatur ministerium, datur Spiritus sanctus. Ephes. 4. Ac dicitur Ecclesia regnum Christi, quia verbo colligitur inde usque ab Adam per filium. Postea inquit Paulus: Tradet regnum Deo patri, id est, Nunc per uerbum cezimus Patrem, postea diuinitas coram conspicietur & regnabit, non ministerio Euangelij, sed immediate.

VETUSTA S causas quaesuit, quare saluator non tantum sit homo. Et causae recensentur, quia sola humana natura nec videre nec sustinere magnitudinem irae Dei potuerit, nec vincere mortem, nec reddere uitam & iusticiam aeternam. Item, congruebat, ut precium maius esset peccato. Nec humana natura sola uideret uoluntatem Dei in intercessionem pro alijs. Haec causae nihil sunt apud illos, qui dicunt, tantum naturam patientem & morientem esse mediaticam, & saluationem eodem modo esse patris, filij, & Spiritus sancti, cum promissio expresse dicat, Semen mulieris conteret caput serpentis. CHRYSOSTOMVS loquens de mediatore, hanc causam ponit, quare mediatorem oporteat communicare ambobus, quorum est mediator, quia mediator oportet cum Deo colloqui. Verba eius haec sunt: Nec homo tantum esse mediator potuisset, quia cum Deo mediatorem colloqui oportebat.

ἡθεωρεῖται ἐκ τῶν ἐν τῷ κειμένῳ, ἵνα γινώσκῃ τὴν θεῶν διαλέγεσθαι.
IRENAEVS loquitur hoc modo, lib. 3. Oportebat mediatorem Dei & hominum per suam ad utrosque cognationem in amicitiam & concordiam utrosque reducere, & facere ut Deus reciperet hominem, & homo restitueretur Deo. Qua enim ratione filij adoptionis esse possemus, nisi per filium, & nisi uerbum caro factum esset, & nostrae naturae sociatum esset. Dicit in mediatore duas esse naturas, quia nos non possemus esse filij adoptionis, nisi is, qui natura filius est, as-

sem-

sumisset nostræ naturæ massam. **E**t Vigilus sic ait: Talis holtia requirebatur, quæ ita media esset inter Deum & homines, ut & morti succumberet per illud quod hominis habebat, & mortem vinceret eo, quod diuinitatem in se tenebat. Item, Nisi talis mediator existeret, qui de cælestibus veniens, cõiunctur terrenis, vnde etiam medius erit, si vtrunq; non habuerit? Quia nisi talem dederis inter Deum & homines, qui ita sit medius, ut ex vtroq; vtrunq; sit, id est, ut & Deus sit propter diuinitatis, & idem homo sit propter humanitatis naturam, humana diuinis quemadmodum reconcilietur, non offendis.

CYRILLI longa est commemoratio in Theauri libro 12. Mediator Dei & hominum Iesus Christus est, non solum quia reconciliauit homines Deo, sed etiam quia naturaliter & substantialiter, & Deus & homo est in vna hypostasi. Item: Est autem Christus mediator Dei & hominum, quia in eo vno Deus & homo coniunguntur. **A**MBROSIVS, vt mediator Dei & hominum esset, homo Christus Iesus, non sine diuinitate, quia in Deo homo erat, & Deus in homine, vt ex vtroq; esset mediator. **S**ic Epiphanius & Hieronymus loquuntur. Nec his antiquis testimonijs anteferatur mutilatum dictum in Longobardo, distinctione 19. libro tertio, quod ex Augustino citatur, quod ait, Christum esse mediatorem secundum humanitatem, non secundum diuinitatem. Et tamẽ in eodem loco pugnantia mox citantur, vnde nata est otiosa distinctio de medio & mediatore. Fatentur Christum secundum vtramque naturam medium esse, sed mediatorem secundum humanam. Manifestum est autem ideo dictum illud insufficiens esse, quia tantum de passione loquitur, non de victoria, non de intercessione perpetua, quæ fit coram Patre, non de perpetua conseruatione Ecclesiæ.

Nec dictum in epistola ad Timotheum excludit diuinam naturam, quia nominat personam. Vnus mediator Dei & hominum, Homo Christus Iesus. Christus autem est nomen personæ, in qua sunt duæ naturæ, quasi dicat: Hic homo Christus est mediator, non alij homines, Abraham aut Moyses, de quo etiam scriptum est Deut. 5. Ego steti inter Deum & vos, &c. Sed hic vnicus filius Dei est mediator, quia hic assumpta natura humana est propitiator. Non igitur inde sequitur, solam naturam humanam mediatricem esse.

IDEO & enarrationes veterum monent non excludi diuinam naturam. Ac miror quas causas esse cogitent, cur duæ naturæ vnitæ sint, qui solam humanam naturam contendunt esse mediatricem & redemptricem, certe non frustra facta est hæc copulatio. Nec frustra dictum est: Sic Deus dilexit mundum, ut filium vnigenitum daret. **I**e n: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis.

IN Stancari scripto quædam etiam de iustificatione inferuntur, ubi tamen non recitatur integra doctrina de eo articulo. Nobis autem magnum crimen, sed falso obijcit, ait nostram doctrinam ex Pelagiana extructam esse. Extant confessiones consentientes multarum Ecclesiarum nostrarum de præcipuis articulis, quas non dubito veras esse. Ipse quid sentiat, & cuius Ecclesiæ cuius sit, nondum scimus. Si publicis scriptis oppugnabit doctrinam Ecclesiarum nostrarum, non deerunt qui veritatem tueri studebunt, nec deterrebuntur eius maledicentiâ.

HÆC scripsi meo nomine. Nam alijs attrahere certamina cum homine maledico non volui. Causa hæc amplissima est, & multas grauisimas disputationes continet, quarum explicatio illustrat doctrinam de filio Dei, & utilis est ad consolationem & ad inuocationem. Nunc autem fui breuior, & quædam præterij, quia video quosdam vndique arripere calumniandi occasionem. Nec vero defugio iudicia Ecclesiarum, & maxime optarim, de multis rebus colloqui me posse, cum pluribus viris doctis & pijs, qui sine acerbitate animorum sententias conferrent.

SVBIIICIO igitur & me ipsum, & omnia mea scripta, & hanc ipsam responsonem, iudicio omnium Ecclesiarum, quæ Augustanam confessionem amplectuntur, & oro filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, Deum & hominem, qui dixit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos, ut semper Ecclesiam sibi in his regionibus colligat & gubernet, & nos doceat & regat, AMEN.

QVÆSTIO.

AN sicut vera est propositio, Christus est mortuus secundum naturam humanam, non secundum diuinam naturam, ita sit vera propositio, Christus est mediator tantum secundum naturam humanam, non secundum vtranc; naturam. An vero differentia sit, inter propositiones quæ loquuntur de proprietatibus vnius naturæ, & alias propositiones quæ loquuntur de officio quod conuenit personæ, vti Christus est rex, secundum vtranc; naturam?

ALIA QVÆSTIO.

AN Christus tantum sit saluator, quia patitur, & non eo, quod simul sit efficax, An sit saluator merito & efficacia?

V E R B A

VERBA AMBROSII IN EPISTOLA
P R I O R E A D T I M O T H E Y M .

V N V S enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo
Christus Iesus. Dei & Christi vnā significat esse voluntatem in
saluandis hominibus, vnde Deum patrem, quia ab ipso est omnis au-
toritas, vnum esse factur, & vnum mediatorem Dei & hominum
Christum Iesum. Missus enim à patre, factus arbiter reconciliante
Deum & homines, reformando eos ad agnitionem eius, quia enim
vnus est pater & filius, non persona, sed indifferenti natura, ut arbi-
ter esset Dei & hominum, filius Dei assumpta carne, homo natus
est, vt mediator Dei & hominum homo esset Christus
Iesus, id est, non sine diuinitate, quia in Deo ho-
mo erat, & Deus in homine, ut ex vtro-
que esset mediator, & vtrunque
reconciliaret.

F I N I S .

L I P S I E

Iohannes Rhamba excudebat

A N N O

M. D. LXXII.